



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

40
Diss.

5462





Duple

~~2° Dpl A 8832~~^a

4

Diss.

5462

Bibl. Lipp.
No 2495.

<36642385250018

<36642385250018

Bayer. Staatsbibliothek

PRODROMI JURIS CONTROVERSI

DISSERTATIO PRIMA

DE

JURISPRUDENTIA IN GENERE.

CONSENSU ET AUCTORITATE

INCLYTI COLLEGII
JURIDICI

IN ELECTORALI ET CELEBERRIMA UNIVER-
SITATE INGOLSTADIANA

P R Æ S I D E

P. GUILIELMO BEÜSCH,
Societatis JESU SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctore,
horumque Professore Ordinario & Juris Primario

A

PRENOBILI, ET CLARISSIMO DOMINO

ADAMO FRANC. XAVERIO AUER,

Ulmenfi Suevo, Juris utriusque Licentiat.

Publicæ Disputationi proposita

IN AUDITORIO CANONISTARUM

MDCC. XXXVII.



INGOLSTADII,

Typis JOANNIS PAULI SCHLEIG, Typogr. Academ.

1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

Bayerische
Staatsbibliothek
München

**REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI**

A C

**AMPLISSIMO
S.R.I. PRÆLATO**

DOMINO, DOMINO

ROGERIO,

**SACRI ET EXEMPTI ORDINIS
CISTERCIENSIS**

IN IMPERIALI, AC IMMEDIATO MONASTERIO

B.M.V. DE CÆSAREA

ABBATI VIGILANTISSIMO,

**SACRÆ, CÆSARÆ, AC REGIÆ CATHOLICÆ
MAJESTATIS CONSILIARIO NATO.**

A C

SACELLANO HÆREDITARIO,

NEC NON

**SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS
PER SUEVIAM, ET TYROLIM**

VICARIO GENERALI &c.



HONORABILISSIMA
 REVERENDISSIME
 PERILLUSTRIS,
 AMPLISSIME
 DOMINE PRÆSUL,
 DOMINE DOMINE
 PER QUAM GRATIOSISSIME
 ANTONIO DE M. B.
 OTTAVIANO DIV. FABRIZIA
 IN HUIUS MODI...



Actum bene, factum Divinitus, ut mens hu-
 manis dudum defueta rebus, & terris altior è
 Cælo peteret Vicariam Sui, suæque Potestatis
 Imaginem; ut ex Gentilitio Ordinis, Patrisque
 Bernardi scuto suam in tesseram adscilceret
 Filius Paternum verius; atque hereditarium,
 quam mutuatitium Cordium Typum, non tam
 publicis, quam privatis animi Tabulis imprimen-
 dum; nec tam imprimendum, quam cætya vitæ, morumque
 Imagine exprimendum. Illam, Illam intelligo amplissimæ Digni-
 tatis tuæ Insignibus, Tesserarii Symboli instar, adscitam Cor-
 dium

dium Triadem, quo nullum in Creatis Trinum perfectius, in Terris Cælestius, nullum in humanis divinius. Illud Illius Filii Cor, quod divinitatis, humana habitantis, Sedes, & Penetrale fuit, multò, quàm dici possit, Augustissimum. Illius Cor Matris, Quæ cum Virgo genuit, non nisi Deum genuit. Illius, denique, Cor Patris, Qui non quidem Genitor, sed Altor, Alumnum habuit Altorem mundi. Prò, Quanti Filii, Quantæ Matris, Quanti Cor Patris! Filii Parentum observantissimi: Matris Filii amantissimæ: Patris in Matrem, & Filium officiosissimi. Cor in se quidem Trinum, in Te verò unum: in Te, inquam, Præsul Reverendissime, Qui Patrem Filio, Filium Patri, utri- que usque ad eò commiscet Matrem, ut Cor Filii observantissimi, Matrum amantissimæ, Patrum denique officiosissimi in Te suspi- ciant, quotquot vel eminùs Te conspexere. Quæ tria dum dixi, tribus, quod ajunt, verbis rei caput dixi; Dixi laudum simul, simul Tuorum summam Amorum.

Imò, ut dicam potius, officii mei est; quin Beneficii Tui: quo primulùm factum, ut grati animi officium nunc typò pendere liceat, dudum antea solutum animò. Nisi Tuïs fortasse ingratis fecero, si grates agam; si gratias prædico, quibus vivo.

Itaque ab Illo Corde exordior, quod Tibi præ reliquis cordi est. Dicam de Filio trium omninò Parentum; imò duorum duntaxat, quia Tertius Patris verius, quàm Parentis nomine nuncupandus venit. Fuit ergo Divinus Ille Filius unius Matris Filius, & Geminius Patris; sed Patris sine Matre, quæ Deus: quæ homo est, Matris sine Patre Filius. A Patrum altero genitus, non factus; ab altero nec genitus, nec factus, sed educatus, sed altus, & institutus. Quorum Parentum Filius sit, scimus: superest, ut, qualis fuerit, videamus. Imo jam in Te videmus, Præsul Reverendissime, Qui, Qualis Ille fuit, Talem Te præbere Filium studeas iisdem ferme, quibus Ille, Parentibus. Nam & Tibi geminus omninò Pater est. Cælestis alter; alter Humanus, sed pridem humanis superior, atque ex mortali immortalis. Ille communis omnium Parens, DEUS: Iste Tui, Ordinisque Tui Pater verè nutritius, Bernardus; cætera Virgineo Divini Filii Tutori suppar, hoc umò, penè dixissem, superior, quòd Joseph Virginis Matris Sponsus; Hic etiam Filius sit, & tantum non Germanus Christi; eodem certè, quo Dei Filius, ubere lactatus. Et Hoc cum Lacte in Te, Tuique Ordinis filios fluxit nativa Illa pietas, quæ Dei Parentem peculiari prorsus nomine Cisterciensium, & in paucissimis proprio Cæsarensium Matrem fecit, ad eò, ut idem ferè sit Cister-

stercientem, ac ex asse Marianum, idem Bernardi, ac Ma-
tris Dei Filium esse. Dei autem Matris Filius esse non potest,
 nisi qui singulariter sit Filius Dei; Qui, qualisque cum sis re,
 & nomine, cum modò singulari prorsus sis **Dei Filius**, quia **Mariæ-**
Mariæ autem, quia **Bernardi**: Quo tandem Te Filii animò esse
 dicam in Tales Tantosque Parentes! Qua in Patrem divinum re-
 ligione; Quo in DEI Matrem pietatis sensu, Qua in Tuum Tuique
 ordinis Patrem Paternæ disciplinae cura, qua vitæ, morumque
 Similitudine? Dixi filium te præstas in omnes, perque omnia obser-
 vantissimum; idque ex Divinissimi Illius Cordis Magisterio, ex
 quo omnem in Patrem religionem, omnem in Matrem
 amorem hauris; & hauries tamdiu, quamdiu spiritum. Il-
 lum Spiritum, quem Religioni, cultui, gloriæque Cœlestis
 Patris immolavit Filius, honori Patris immortalis. Il-
 lum Spiritum, qui non prius munere Suo defunctum Se cre-
 didit, priusquam vitâ. Illum spiritum, qui ingressum Jero-
 solymas Christum docuit, non nisi à templo solennem inchoandam
 lustrationem; neque hominem Deum, aliena in domo corrigere,
 quod necdum emendasset in sua. Illum Christi Spiritum; Qui,
 cum alias ipsa tolerantia sit, nec minimum tamen in loco sancto
 piaculum tolerat, cæterorum ferè criminum Judex, hujus usque
 ad eò vindex, ut flagris etiam armet assuetam tot Beneficiis manum,
 illum ex Corde Filii hauris spiritum, quo Magistro in momenta
 tibi mori discis, ut Soli Deo, Soli Cœlesti Patri vivas; Qui, quem-
 admodum divinum Filium perpetuum esse jussit in his, quæ Patris
 sunt, Ita & Te, aut in dotandis, ditandisque Templis Regium,
 in orrandis Munificum, in honorandis, Tuæque præsentia ani-
 mandis assiduum esse docuit. Illum denique Filii spiritum, qui,
 ut ne Patris pateretur honor, suum nihil habuit; Qui Corporis
 Fortunæque Bonâ, valetudinem, vitam, animam denique obse-
 quio impendit Patris, ut vel effuso Sanguine Toti mundo testetur
 Patrem, seque Patris Illius filium, cui vel servire præstat, quam
 mille mundis dominari. Sed communia fortassis hæc sunt omni
 Antistiti, parem potestatem pari cum Religione obtinenti? Ita enim-
 vero. At quis facile antistitum parem pari cum Religione potesta-
 tem sustinet? Verum omnis verbis invidia absit! Sit Ita. Num
 minora fors sunt domestica, id est, **Tua** decora, quibus non Tuam
 modò domum, Sed oppida sed Urbes, nec Urbes tantum, sed Pro-
 vincias, quin Imperium impleas Romano-Catholicum. **Tuum** est,
 & singulare, quia quotidianum, Illud cultus divini studium, ut
 Tuis eo die Te præesse non crederes, quo non psallentium Choro
 & præsentia, & voce præires. **Tuum** est, quia perpetuum, illud
 constantiæ Tuæ prodigium verius, quam exemplum, quo etiam
 tunc, dum corpus ægrè trahit spiritus, & corpus spiritum, in
 divini tamen Patris laudes esse pergis vocalis Filius, & munus de-
 voti

voti obire filii, cum vix hominis possis; exemplo Capitis, & pietatis sensu late in membra manante; nec tam imitando, quam admirando, imò nec admirando satis, etiamsi omnes obstupescant Tui. **Tuum** est neque alteri, quod scio, tam peculiare in paucis, quia propè ingenitum Artificium illud, Cordis simul vocisque harmoniam suavissimam conciliandi, quam vel per aures instillare nosti, dum Totus in eo es, ut Tui divinas laudes non religiosè minus dicant, quam suaviter canant, nec suavius canant, quam religiosè dicant. Verbo: Ut pari Religione deum canendo laudent, ac laudando canunt. **Tuus** est, quia divini Filii cordi insitus Ille (ut sacri Codicis verbis loquar) **Zelus**, paternæ id est, Divinæ Domûs, Qui te in dies magis magisque consumit non unius tantum, Cæsarensis Basilicæ ambitu circumscriptus, sed per tot loca diffusus, per quot promovendo Divini Patris gloriam non tam Homini hac ex parte Vicarium agis, quam Homini Dei. Tot autem sunt Loca Illa, quot utraque Tibi concedita Provincia oppida, & Sedes numerat, aut Potestati Tuæ, aut curæ subjectas; tot autem numerat, quot numerare labor foret. paucissimis complector omnia; Nullum est per Sueviam & Tyrolim Domicilium, aut Tuum, aut Ordinis Tui: nullum in domiciliis Templum; in Templis ara nulla; nullus in Aris Sanctus, Qui non Eximii Tui in divina studii Testis sit, aut argumentum. **Tuum** denique est Illustre Illud vivendi genus privatum, simul, & publicum, Solitarium, & negotiosum, Aulicum, & Religiosum, quo Te ita partiris aulæ, & solitudini, Terræ & Cælo, Mundo & Deo, ut, dum Totus in divinis esse videris humana tamen, quæ muneris Tui sunt, non negligas, sed ita curas ut Totus adhuc sis Dei. Scilicet, subdis tibi Terrena negotia, non te Illis. Dominus curarum es, non servus; commodas te rebus, non donas; aut si donas, deum relinquis propter deum, nullo virtutum dispendio; ingenti etiam compendiò. Quod singulare vitæ Tuæ mysterium dum æquiori mentis trutina pondero; atque ad Illam libram examino, quam **Ingenium** Tui studiosum **Imagini** Tuæ affixit (ad harum **Thesium** frontem præfixæ) uni quidem **Libræ Lanci** **COR** impono, seu nobiliorem **Symboli** Tui **tessera**rii partem, & curarum **Divinorum** **Sedem**; alteri verò **Aquilam**, profana, atque adeo **Imperii** negotia designantem. **Aquilæ** illud divini Proverbii accomodo. **Quod est Cæsaris, Cæsari: Cordi illud: Quod est DEI, Deo.** Toti verò libræ, Illud: **Cuique suum**, Atque hoc quam omninò ex sententia divini Illius Filii est dictum, ex Cujus Etypo Tibi Corde primò profluxit: Qui cum divino Patri suo honorem haberi voluit, ut ne in Cæsarem offenderet, eum Cæsari, ut nihil divino detractum iret. Quo in genere, nescio, an ad rem præsentem accomo-

modatiùs, ad Tuam, omniùmque Cæsareensium Præsulum laudem Augustius quidquam afferri possit, quàm ipsorum Augustissimorum Cæsarum Judicium. Ita autem, tamque honorificè, jam inde à **Carolo V.** de Cæsareensium Antistite & sensere hæcenus, & adhucdum sentiunt Cæsares, ut non factum, sed singulari Dei Consiliò **Natum** etiam ad Concilia constanter pronuntient, Oraculò quàm Magnifico, tam perenni, & cum Cæsaribus perennaturo.

At quid denuò, dum Tua solùm laudare instituo, ad aliorum laudes deflecto? Patere, **Præsul Reverendissime**, ut ex hoc ipso, si quis est, errore consilium capiam, & novum Tuarum Laudum argumentum. Ita pergam alienis laudibus miscere Tuas, & Tuis alienas, ut non tam aliorum appareant, quàm Tuæ. Itaque non tam aliorum, quàm Tua sunt, quæ, siquidem non à **Te**, per **Te** certè à Tuis præclarè fiunt, ad Immortalis Numinis Gloriam immortalem. Aut non erat fortasse Illud Totum Christi, quidquid Christus prosperè gerebat per suos? aut Illa Solis Beneficia non sunt, quæ per radios dispensantur? Quod si verò ita est, si in Suevia, si in Tyroli, si in omni latè vicinia, locisque Tibi Subditis Cælestis honor Patris nova per Tuos in dies augmenta capiat, Tuus, honorem Divini Patris per Filios Tuos promoventis, honor, **Tua est Gloria**, Quod in asceteriis, in Parthenonibus curæ Tuæ creditis Primævus etiamnum paternæ Disciplinæ, Religionisque vigor obtineat, quod in Virginibus primus innocentiae flos vireat, in filiis verò Tuis masculæ virtutis robur magnis semper incrementis succrescat, in omnibus verò charitas in eam, quam petis, magnitudinem jam jam excreverit, Tuæ Religionis, virtutis Tuæ, Tuæ in omnes eximiae Charitatis Flores, & Fructus sunt; Tu verò horum Fructuum & Florum Parens & Sator. Quot DEI, Divorùmque honoribus per Tuos assurgunt Tempa, quot altaria, tot Tuæ in Superos munificentiae Imagines sunt, & splendidissimi Exempli Tui monumenta. Quot vivis DEI Templis regendis, omnique virtutum cultu exornandis ex Tuis præesse jubes, tot Discipulos numeras Sapientissimò Tui Spiritùs Magisteriò eruditos. Quod tam paternè, tam providè Tibi, Tuisque Subdita regantur corda, Arcanum Tui Cordis artificium est, Tuis eum in finem communicatum, quò feliciùs in concreditos dominantur animos. Tot animarum lucra à Tuis parta, Tuæ providentiæ præmium sunt, dum domi priùs Tantos parturiebas filios, qui tanta foris parerent. Tot à Tuis Orco illatae strages, tot relatae victoriæ, tot creptæ prædæ, Tui triumphus sunt, dum Hos in hæc Bella Heroas educasti, qui vincant toties, quoties pugnant. Tuorum denique manipuli sunt, sed messis Tua, majore Tuorum Sudore dicam, an gloria, tam copiosè, cumulatèque collecta, & Cælestis Patrisfamilias horreo de-

stina-

stinata. Verbo: Tuum est quidquid uspiam & à Te, & per Te, in Divini Patris honorem non feliciter minus, ac fortiter cessit, seu gestum jam, seu gerendum, sive à Filiis Tuis, sive à Te Filio, in Patrem Tuum Divinum observantissimo, Illiusque Divini Cordis verè æmulo, Quod fuit Cor Filii in Patrem Religiosissimi.

JAm, quod tanta in Patrem Religione est, quo tandem modo sese **Cor Filii in Matrem** probat? eo, quo in Matrem Filius, & Filius Talis in Talem Matrem. Est autem Filii, non tam filium, quàm Parentem, Eàmque non tam Sanguine, quàm moribùs referre. Quod cum facis, **Præsul Reverendissime, simul Cor Filii in Matrem, simul Cor Matris in Filium exhibes, utrumque amantissimum, utrumque à me quàm paucissimis exhibendum. Amas Matrem Paterno, id est, intimo, nonnisi à Bernardo Patre Tuo hausto pietatis sensu. Amas Matrem (plùs dico, nec vereor, ne de amata nimium dicam, quia nunquam satis) amas Matrem amore propè divino, hoc est, amore divinos illius Cordis ignes spirante, Quod Ipsum Amorem spirat. Amas Matrem amore tenerrimo juxta, ac fortissimo, qualem ex divini Cordis vulnere trahis; amore, ut paucis antea memini, Materno cum lacte Bernardi animo instillato, inde in Te uberrimo Illius fonte derivato, ut Totus in amanda Matre, Imo ut totus Mariæ Amor esses. Unde quid mirùm, quòd in promovendis his amoribus Tuis Totus quoque Manus audias, in excogitandis Mariæ laudibus Totus Ingenium, in enuntiandis Totus Lingua, atque in canendis etiam Totus Vox, verbo, in amando hanc Matrem Tuam totus sis Cor Filii, Matris suæ amantissimi. Nec voce tantùm, aut linguâ cum Patre Tuo Bernardo his in amoribus certas, sed stylo etiam amorem, & Te Filium probas. Testor Virgineum Illum Marianum Ingenii Tui partum iterata, jam luce dignum: pluribùs dignissimum; Quem si Parens Tuus Bernardus primam in lucè edidisset, næ ego hunc partum dixerim Auctore suo dignum; aut certè posthumum, si Anonymus prodidisset; adèd concepit Illum Cor ex asse Marianum, dictante, aut scribente etiam, aut certè scribenti alas commodante amore Mariano. Plura de hoc dicere supersedeo, quia in oculis versatur Mariani Orbis; utinam & in manibus, utinam in animis legentium foret Ille animi sensus, quo Marianas hasce meditationes diu multùmque meditates scripseras, & scriptas meditaris! Nemo certè vel prima, quod ajunt, fronte illas inspexerit, quin vel ex**

Fronte legat. Tuum illud **Cor Filii in Matrem**, quoniam & **Matris in Filium**.

Id Quod hoc ipso exprimis, dum intima Maternae Pietatis sensa, dum Maternum in Divinum Filium amorem exprimis. Quod ut testatum faciam, Divinae Matris in Filium amorem duobus omnino temporis articulis complector; quorum uterque, nisi vehementer fallor, omnium maxime exercuit **Cor Matris amantissimum**. Horum Primus erat, Quo DEI Filius vivere cepit: alter, quo desit, ultimus. Iste, quo mortuum, Ille, quo conceptum Filium Mater sensit. Uterque amor, uterque pietatis Maternae sensu plenissimus, & quo in Filium ferebatur recens natum, quoque in Passum. Paria Amoris Tui in te distinguo tempora, Praesul Reverendissime, eo frequentiora, quia quotidianam. Et primo quidem, Quis ille animi Tui, quin Universi Corporis sensus? Quae amoris vis, Quod quantumque desiderium illud, quo Tu quotidie concipiendum Tua intra viscera DEI Filium suspiras, suspiratum concipis, conceptum adoras? Quae illae Filii preces a Divino Patre Panem hunc quotidianum expetentis, Quae pro accepto gratias agentis? Quis Ille Cordis tui aestus, Quod incendium, dum illapsam intimis penetralibus Divinitatem sentis? Quisquis hoc vel cogitando assequi non desperat, ex amissi Materni Cordis, Tuum aestimet necesse est. Felices oculi tanti, tamque Divini Incendii Usurpatores! quibus Praesulis vestri (DEUM ore susceptum, corde intimius concipientis) formam, & speciem intueri datur, non jam humanam, sed plane Angelicam. Ita sane testantur oculi, nescio quid divini ignis spirantes; altissima, qua defixus haeres, contemplatio; vultus totus ex Seraphico ardore flammeus; immota Corporis totius quies; argumentum animi, in Deo suo plene quiescentis, aut tantum non extra corpus inter suavissimum Angelorum consortium, dapésque Eucharisticas convivantis Spiritus, itaque in carneum suum hospitium immitis, ut in vivum, cui nudo incumbit, marmor tantum non obrigescat corpus, dum ad illud animus redeat, omni interea humano sensu Superior, ita, ut vel ex hoc solo adhuc argui possit incola corporis, quod corpus focum praebet exaestuanti illi cordis incendio, quale in Ectypo Materni Cordis Symbolo datur aspiceré, ad concepti Divini Filii praesentiam conceptum.

Sed num minor fuit Cordis Materni amor in Filium Mortuum, quam in Natum? haud sane: sed captu, sed explicatu multo submilior. Qui enim Cor Matris, morte Filii afflictissima, ex suscepti inde doloris, amorisque magnitudine metiri, altiusque in Cordis illius penetralia sese penetrare cogitat, nae is mihi Euripum quem-

quemdam ingredi videtur acerbissimi doloris, amorisque inter se se reciprocantis æstu tumultuantem. Et hoc tale, tam falsum mæstitiæ Maternæ mare Tu Filius subis in dies, in horas, in momenta ferè singula, non nisi profundissimo doloris sensu absorbendus! Quid? quòd ne Materna Divini Illius, spinis circumsepti, Cordis memoria vel semel elabatur animo, tam constanter Illud in oculis, & manibus tenes, ut nihil profani etiam negotii suscipias, quin Cor Illud adhibeas insignium locò, non tam chartæ, quàm Cor di signando, toties jam Ejusdem memoria signato, quot dies non unius horæ meditatio, quot horas amor amoris Tui è Cruce suffixi consecrat; tot autem horas, tot dies consecrat, quot annus habet. Jam Materni Cordis contemplatione è Corde ceu Cathedra docentem contemplaris amorem Illum Tuum, amore Tui, mortuum. Jam effusum pro Te Sanguinem audire videris ad Te clamantem per tot ora, per quot stillatus fluxit vulnera, per tot linguas, per quot acutissimos expressum dolores doles, per tot verba, in quot Ille stillas abiit. Jam Cor Idem ut aram complecteris Dei hominis, se se pro hominibus immolantis. Inde Ignis Illi, qui in ara Cordis Tui nunquam deficiunt; Sed tum enim verò abundant etiam, cum ad Taram uam facis (facis autem assidue) incruentam Crucenti Illius Sacrificii memoriam. Ad Tuam aram, inquam, tam perpetuis, quibus Christus adorandus prostat, honoribus Sacram, quàm Tuis, perpetuò adorantis, amoribus. Ad aram Tuam; ad quam commentantem Te Tui vident (& Quoties non vident) atque ad pedes Crucifixi fluentia cælestia colligentem, quorum inundatione delibutum pectus amores Tuos in Tuorum aures effundat, eloquio tantò suaviore, quantò non tua verba sunt Illa, sed à Materno Corde hausta, nec adscitâ facundiâ, sed nata Domi. Scilicet, nihil aliud litterariæ suppellectilis extra Te quæris, qui genus omne Disciplinæ mente dudum complexus es, præter Librum unicum, in quo omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ sunt absconditi. Christum nempe crucifixum. Hic Tibi instar omnium, hæc Tuæ summa Doctrinæ, vis facundiæ, Nervus eloquii. Hujus Divini Cor Filii instar Bibliothecæ est, Quam Cor Matris Sapientiæ Sedes identidem Tibi lustrandam suggerit. Hic Liber vitæ est, Quem vitæ Divinioris Magistra simul, & Genitrix constanter apertum tenet, ut Illam, in Cor Illud, Materni amoris disciplinam sedulo exerceas, qua pridem habere didicisti Cor Filii in Matrem, & Matris in Filium.

Tertium jam superest, Illudque Paternum Cor. Cor Patris in Filium. Quod iterum præstas quàm cumulatissimè, & dum Cor Patris Tui Bernardi in Te Filio exhibes, & dum in Filios: Esse enim neutiquam potest, ut Cor Paternum in Filios exeras, quin non simul Cor Filii in Patrem. Quæ cum ita sint, si Tuum in Tuos Paternum Cor describere velim, Patrem omnino describere necesse est, Qui totus vivit in Corde Filii. Ænig

Ænigma erat egressa ex Forti dulcedo, sed **Ænigma** pridem **Bernardi** moribus, quin Ipso nomine solutum. In Illo erat Dulcedo Illa Fortis, & Fortitudo dulcis. Ubique Severus erat, & Blandus, Fortis & Lenis, Suavis & efficax, ubique Pater. Ita est, ubique in Te Filio elucet Pater. Quod ille scripsit, Tu vivis, Quod Ille dixit, Tu agis, quod egit, Tu loqueris. Ubique Filius, imò in Filio Pater. Audiunt Te Filii Tui loquentem mellea, & Mellissuum se audire Patrem credunt. Audiunt pronuntiantem gravia, intonantem Fortia, suaviter simul fortiterque stimulantem; & pungentem Apem Illam Claravallensem experiuntur, non tam aculeos, quàm stimulos adhibentem. Sentiunt Regimen Illud suave & efficax; & Dulcem simul, simul fortem sibi imperare Patrem **Bernardum** sentiunt. Ita sentire Tuos jubet suavis conspectus Tuus, amabilis consuetudo, Blanda conversatio, qua fit, ut, seu fundas Deo plenus oracula, ceu privato Tuos digneris alloquio, tam ingenua Sapienciam ornes verecundia, tanta Authoritatem facilitate temperes, ut non tam Patris supercilio, sed Materna, imò Virginea Severitate nihil hilaritati, nihil simplicitate gravitati, nihil Majestati humanitate detractum eas; Sed ubique & Præsulem referas, & Patrem. Et Patrem quidem tam amantem, qui ut amor in suos totum pectus expleat, Omnem sui amorem à se procul expectoravit, ut reciproci amoris congeminato miraculo omnes in Unius pectore, Unus in omnium pectoribus vivas. Huic verò Patri prò qualem, Quantùmque misces Præsulem! Præsulis quidem Titulos, signa, insignia referentem, cæterum modestia, cura, vigiliis à Tuis non nisi virtutis constantia differentem; Qui Supremum concreditæ sibi dignitatis munus ita sustinet, ut Qualis sit Domus ex Præsidis virtute, Qualis sit Præsces ex Domus disciplina facile sit cognoscere. Qui summam summa cum dignitate pietatem, cum pietate doctrinam, cum doctrina Magnificentiam, cum magnificentia frugalitatem, cum privata perfectione publicarum rerum sollicitudinem complectitur, admirando sanè omnium, quæ decent Præsulem virtutum consortio. Quod dum dico & in Te Virtutum Omnium consortium admiror, identidem ad amabile Patris Nomen & Cor revertor, In quo cum Principem facile inter omnes virtutes locum amor in Filios obtineat, videndum porrò, Qui Te in omnes Filios Tuos habeas. In Omnes? Num præter domesticos Illos Ordinis Tui Filios alios numeras Pater? Tot enim ve rò, Quot alumnos Liberalitatis Tuæ; Quæ Tecum nata, vix in Te à natura differt. Tecum crevit, sed majoribus augmentis, quàm ætas Tua, Tecum se se exhaurit; imò non exhaurit, adhuc integra post tot annos, adhuc dives post tot effusas divitias, adhuc plena postquam implevit omnia, Fontis in morem tam diu se ipso pleni, quamdiu sese effundit. Quis numeret Eleemosynas Tuas?

Tuas? Ille, qui pauperes. Quis occultas? Deus; quia idcirco ar-
 canas voluisti, ut Deo Soli in numerato sint. Quis verò publicas?
 Ille, qui publica per omnem latè viciniam Xenodochia numeret,
 in quibus miseriarum hospes es; Nosocomia, in quibus mortem
 ipsam prorogare vitam cogis; Literarum Seminaria, in quibus
 Sapiencia Tuis stipendiis vivit; omnes pauperum Ordines, qui Ti-
 bi decumbenti nuper, Uno, quod quotidiano pane satias, ore incla-
 mabant, Abba Pater! Ipsæ Ædes Tuæ, dum Egenis omnibus,
 & hospitibus patent, Quid sunt aliud, quàm publicum Charitatis
 domicilium, & dum quotidiana mendicis alimenta subministras,
 nonne habes quotidie domesticum, & Convictorem Deum, in Fi-
 liis etiam non domesticis?

Quid primùm de domesticis dicam? Unum dicam, & ultimum,
 sed decorum Tuorum longè supremum; & quia laudum Tuarum
 compendium, in compendio dicam. Gloria Patris est sapi-
 ens Filius; Sapiens autem Filius esse non potest, nisi Qui & pater-
 næ disciplinæ intelligentem se & audientem præstet. Ex quibus
 in Tuam, Tuorumque laudem ita concludo. Quemadmodum Tu
 Sapienciæ Paternæ hæres Sapiencissimo Patri Tuo Bernardo
 ita Tibi Sapientes Filii Tui maximæ sunt Gloriæ. Verbo. Quem-
 admodum Tu Bernardi, ita Tuam omnes Sapienciam sapiunt,
 & in iis, quæ Dei sunt, & quæ hominum; & quæ ad omne genus
 virtutum, & quæ omnigenam scientiam spectant; non Disciplinæ
 Paternæ magis quàm Doctrinæ Studiosissimi, in hac æquè ac alte-
 ra Eximii, itaque conspicui, ut Illis, Qui magnifico Domûs Cæsa-
 reensis rumore exciti peregrè adveniunt, supra omnem Domûs
 Magnificentiam miraculo sit exactissimæ disciplinæ observantia,
 stupori verò Tuæ Tuorumque Filiorum Sapiencia; Quarum alte-
 ra facit, ut dum Regiam se tenere aulam suspiciunt, repente in
 media se se solitudine deprehensos circumspiciant, atque in Regno,
 Mundo sibi que mortuorum, versari se sentiant. Adeo illic linguarum
 silentium est, & aurium, & nemo nisi aut sibi de Deo, aut Deo de se
 loquitur. Altera verò (Sapiencia) facit, ut Censorii etiam do-
 ctrinæ exploratores minùs esse fateantur, quòd audierint, quàm
 quod vident, majorè que Rumore, ut ut maximo, sapienciam Tuor-
 um ac doctrinam esse. Illa facit (id quod passim Cæsareenses au-
 diunt) magnos ex Tuis Philosophos, majores Theologos, Ace-
 tas verò longè maximos; atque hoc domi Tuæ facit, quia dome-
 sticam alis sapienciam & Bonarum artium academiam, ipse am-
 plissima virtutum omnium & Scientiarum Academia. Illa deni-
 que Tua Tuorumque Sapiencia Te facit Sapiencissimum tot Sapi-
 entùm Filiorum Patrem, quot amantem venerantur. Veneran-
 tur autem omnes, Qui in Te suspiciunt Paternum Bernardi Cor
 id est (ut duobus omninò verbis complectar omnia) amantissi-
 mum

mum juxta, ac Sapientissimum **Cor Patris in Filios**; Patris, in quo nihil omnino desiderent filii, & cum filiis Boni omnes, nisi vitam, in qua curæ omnium consumuntur, diuturnam. Patris, de quo quoties inter Filios mentio fit, motus in animis existunt duo, voluptatis, & curæ. Gaudent simul, ac anguntur. Illud de tam Bono Præsule, Præsulum exemplo, Bonorum delicio, virtutum compendio, aut vulgariùs Patre. Hoc de mortali; vel verius, quòd mortalem Te esse immemor non tam Tibi quàm Tuis servare Te non impensius studeas. Laboravit certè Tecum non una nuper Provincia, & Tecum modò reviviscit. Qualis esset privatus in Patrem amor, probavit filiorum amor. Quotus enim fuit, qui vitam suam non voverit, ut servaret tuam. Ultimum vitæ discrimen adieras, & propè erat, ut careremus Te, Quem vitâ habemus Chariorem. Maturus eras æternitati, & volebat illa Te nobis, & tempori subtrahere, quia annosum Te credidit, dum merita vidit, sed postquàm annos vidit, & Tuorum lacrymas, reddidit mortali corpori animum immortalem; quem cum corpus Tuum sequi non posset, deficere cæpit, & linqui animo. Quare cùm non tam Tibi, quàm nobis sis restitutus, si non Tibi (quod abhorres) at nobis saltem vive! Vive Domui Tuæ, Tantæque Familiæ, quæ Totam se Tibi dedit, sed ita dedit, ut non tam ornare, aut onerare Te cuperet, quàm consulere sibi. Quod non obtinet, nisi & Tu consulas, & modereris Tibi. Vive non uni Ordinis Tui Provinciæ, cui Te æterno Deus Consilio Vicarium Sui dedit. Vive Deo, Deique gloriæ, cui unice vixisti hætenus. Vive Tuis denique omnibus, Tuorumque Bono, quod tanta hætenus cura procurandum suscepisti Pater optimus, Quem cùm & ego & Parens meus non tam Dominum, quàm Patrem sentiant gratiosissimum, & Patri vive, & mihi, non tam Clienti, quàm

Reverendissima, Perillustri, ac Amplissima Dominationis Tue

Obsequiis Devotissimo Servo

ADAMO FRANCISCO XAVERIO
 AUER, J. U. Licent.

APPROBATIO THEOLOGICA.

Differtatio hæc de Jurisprudencia tantùm abest, ut à morum, & Orthodoxæ fidei Regulis ullibi vel minimùm deflectat, ut etiam quorundam heterodoxorum scriptorum insulas cavillationes, & acerbis Crises, quibus communes Catholicorum Doctorum sententias protervè perstringunt, hinc inde data occasione non acutè minùs, quàm solidè retundat. Præterea summam commendationem meretur, tum ob profundam Doctrinæ soliditatem, uberrimo eruditionis apparatu exornatam: tum ob Styli nitorem, atque amœnitatem cum gravitate scholastica conjunctam: tum denique ob dotes reliquarum quoque scientiarum, quas omnes uti ad Jurisprudenciam requiri in primis statim paginis demonstrat, ita tanquam absolutissimum Exemplar in seipsa exprimit. Dignissima proin est, ut ad celebrem jam Clarissimi sui Authoris famam, & Præ-nobilis Domini Defendentis uberem doctrinam magis adhuc illustrandam typis vulgata in lucem prodeat, & Disputationi publicæ proponatur.

CHRISTIANUS KNÄBL, S. J.
SS. Theologiæ Profefs. Ordin. & Sa-
cræ Facultatis p. t. Decanus.

APPROBATIO JURIDICA.

Juridica ista Differtatio de Jurisprudencia, & Justitia maximo studio, parique felicitate elaborata tam à claritate Styli, raritate materiae, quàm ubertate, & soliditate doctrinae seipsam laudat, & commendat. Dignissima poin est, ut ad demonstrandam Prænobilis Domini Defendentis egregiam doctrinam prælum, & prælium Academicum subeat.

Ita censet

JOANNES PETRUS SCHIL-
TENPERGER, J. U. D. Serenissimi Elect. Bav. Consiliar. Actual. Digestorum, & Feudorum Professor Ordinarius, ac p. t. Inclty Collegii Juridici Decanus.

DISSER-



DISSERTATIO PRIMA.

De Jurisprudencia & ejus Objecto.

SECTIO PRIMA.

De Jurisprudencia in Genere.

Qui de Jurisprudencia, methodo in scholis recepta, disputare cupit, primò, ac ante omnia indagare debet, quid nòminis, quidve rei sit? ne splendido nomine putidam chymeram vestire videatur. *Initium doctrinae sit consideratio nominis*, monet Epicætetus, & Ulpianus *L. 1. in pr. ff. de J. & J.* Juri, seu Jurisprudenciæ nomen daturus prius nosse debet, unde Juris nomen descendat. Post nomenclaturam quæstio de existentia cæteris omnibus præponi debet, si Principem Philosophorum audiamus *Lib. 2. poster. text. 32.* huic subjungenda quæstio de essentia, ejusque definitio, & divisio explicanda est; turpissimum siquidem est, rei, de qua agitur, nomen & indolem ignorare, ut loquitur Cicerò *Lib. 1. de offic.* ne igitur, vel in ipso limine, à legitimo tradendæ Doctrinæ ordine discedamus, præsentî in capite de Jurisprudencia in genere agendum erit, & quidem in hac sectione 1. de Existentia & præstantia Jurisprudenciæ 2. de ejus Essentia & divisione.

§. I.

*De Existentia & Præstantia Jurisprudenciæ
in Genere.*

SUMMARI A.

1. *Jurisprudencia nomen derivatur à jure seu jussu & prudentia.* 2. *Omni tempore omnique aetate existit, atque adhuc hodieum existit Jurisprudencia.* 3. *Est scientia amplissima & per omnes ferè scientias diffunditur, multa desumit ex Theologia.* 4. *Ac Philosophiam tam Metaphysicam quam Phisicam ac Logicam.* 5. *Ex Arithmetica etiam Geometria ac Astronomia.* 6. *Omnia verò ex Ethica & Politica.* 7. *Nec pauca ex Medicina.* 8. *Rhetorica illi opido est necessaria.* 9. *Vel maxime autem Historia.* 10. *Est scientia præstan-*

tissima. 11. *Jurisprudencia naturalis ejusque Juri Reipublica humana simpliciter necessarii sunt.* 12. *Et. Idem est de Jurisprudencia Divina.* 14. *De Jurisprudencia merè humana controversatur.* 15. *Tam ex raritate cum statu juris natura, ac Civitatum initio.* 16. *Tam ex imperfectione Legum civilium,* 17. *Ac Doctorum & Advocatorum vitiis.* 18. *Ex his ipsis etiam impugnatur necessitas Legum Ecclesiasticarum, & vel maxime quòd eadem leges non possint congruere diversis adeò populis & Nationibus, quòdque à Thomasio juri*

A

civ-

2. *De Existentia & Præstantia Jurisprudentiæ in Genere.*

civili noxia dicantur. 19. Probatur tamen necessitas Jurisprudentiæ humanæ in genere. ex sacra scriptura. 20. In specie verò 2. necessitas juris Politici ex obscuritate juris naturalis. Ecclesiastici, ex universalitate legum divinarum. 22. Ac denique 3. necessitas

utriusque ex necessitate judiciorum. 23. Rejicitur instantia ex paritate cum statu juris natura &c. 24. Et. uti & desumpta ex imperfectione Legum. 26. Ac Jctorum vitiiis. 27. Confutatur Cavillus contra Jus Canonicum. 28. Notatur thesis Thomasi.

Jurisprudentiæ nomen duplicem involvit conceptum, unum *Juris*, alterum *Prudentiæ*. *Juris* conceptus, prout hic jus sumitur, alius esse non potest, quàm conceptus *Legis*, in qua acceptione haud dubie à jussu derivatur, ut dicitur *sect. 3.* prudentiæ conceptus idem ipse est, quem *Aristoteles Lib. 6. Ethic. cap 5.* prudentiæ genericè acceptæ tribuit, dum ait, quòd sit habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ bona & mala hominis sunt: ut adeò *Jurisprudentia* idem sonet, ac *Legum peritia* vel *scientia practica*. Quamvis autem, si versetur circa bona, atque ad ea dirigat & inclinet, rectissime prudentia dicatur: Astutia tamen potius aut imprudentia vocanda foret, quàm prudentia, si, ut sæpè fit, ex perversa *Jurisconsulti* voluntate hæc legum notitia ad fraudes & dolos induceret.

Porro de existentia *jurisprudentiæ*, qui vel dubitare potest, excœcato ab *Ulyssæ Polyphemo* cœcior est; *Omni*namque tempore, omni que ætate existisse, atque adhucdum existere *Jurisprudentiam* luce meridiana clarius est. *Jurisprudentia* enim, ut mox pluribus dicitur, aliud non est, quàm legum peritia aut scientia practica, dirigens homines, ut per actiones *Legibus* conformes justitiam consequantur: In omni autem statu tam legis naturæ, quàm *Legis Mosaicæ & Christianæ* dabantur *Leges*, earumque cognitio & applicatio ad finem prædictum, ut ex *Historia sacra & profana* irrefragabiliter constat: ergo. In toto hoc discursu nihil est, quod in dubium vocari possit, si scientia interim, quod ad præsentem *Conclusionem* sufficit, latiore in sensu sumatur. Et verò hodiè leges easque innumeras existere, testor *Legislatorum Curias*, ubi sanciuntur, *Curiarum rostra*, in quibus promulgantur, dari etiam legum cognitionem & applicationem ad facta hominum, ut procreetur & conserve-tur eorum justitia. Testor *Academias & Scholas publicas*, in quas ad *Legum interpretes* turmatim confluunt auditores: Testor *Tribunalia, Dicasteria, Rotas*, in quibus leges continuo exercentur, teruntur & rotantur. Quæ tamen omnia ad *Lunæ* concavum amandanda forent, si *Jurisprudentia* deficeret.

Præstantissimam pariter ac *Nobilissimam* esse hanc facultatem, nemo inficiabitur, nisi bardus omnino *Endymion* fuerit, neque illam à limine salutârit, aut omnes etiam reliquas scientias exosas habeat; siquidem *Jurisprudentia*, quæ, ut post *Ulpianum L. 10 §. 2. ff.* sapientissime loquitur *Imperator §. 1. nst. de J. & J.* est divinarum atque humanarum rerum notitia, per intima etiam reliquarum scientiarum penetrabilia diffunditur; ex *Theologia* enim, tam illa, quæ à *Theoria*, quàm quæ à *præxi* nomen habet. Deprompsere *Legislatores Christianissimi* *Canones & Constitutiones* suas, quas integris titulis de summa *Trinitate & fide Catholica* explicant, ne, quid credendum, qui cultus *Deo* exhibendus? ignorare possint fideles subditi. Ab hac ejusque parte *Polemica* mutuati sunt, quæ utroque in *Jure* pluribus in locis de *Judæis & Saracenis*, de *Apostatis, hæreticis & schismaticis* sancita habentur, ut *Jctus* fideles ab infidelibus, hæreticos ab orthodoxis dignoscere, scireque possit, an

Juris

Juris Civilis communionem habeant. *L. 36. de Apost. L. 4. C. de heret. L. 1. & passim C. de Judais.* Taceo præcipuum illum tractatum de Justitia & Jure utrique huic scientiæ communem esse, sicque illam sine hac in gradu perfectiore obtineri vix posse.

Nec minùs ea omnia, quæ Philosophia comprehendit, amplitudine sua Jurisprudentia complectitur, sic metaphysica de uno, vero, & bono tractat, Jurisprudentia civilis ex lumine naturæ generaliter *L. 2 ff. de J. & J. specialius & ex lumine revelato L. 1. 2. §. 0 7. & 8. c. de summa trinit.* Jus Canonicum verò de summo hoc bono utramque ferè implet paginam. Physica, non ea solùm, quæ theoretica, sed & practica seu medicina & machinaria agit in genere de naturæ corporeæ causa efficiente & finali, loco, tempore, motu &c. Jurisprudentia considerat materiam, ex qua aliquid fit *L. 7. §. 7. ff. de acq. rer. dom. J. §. 25. & seqq. de rer. divis. ratio loci & temporis juridicè habetur in actione de eo, quòd certò locò dari oportet tot. tit. ff. & C. de eo quòd cert. loc. æstimatione tritici, vini &c. juxta certum tempus & locum facienda L. 22. ff. de reb. cred. Fatalia etiam tempora observantur in Jure tam Canonico, quàm Civili, ut patet legenti titulos de præscript. de Appellat. &c. Versatur Jurisprudentia circa Corpora simplicia *L. 6. C. de malef. & mathem. L. 2. ff. de publ. Jud. agit de Corporibus compositis, & in specie de inanimatis, ut sunt lapilli, gemmæ. §. 18. Inst. de rer. divis. salinæ L. 13. ff. de publ. & vectig. Cretifodinæ & alia metalla L. 3. §. fin. ff. de reb. cor. qui sub iur. L. 3. C. de metall. Cotes L. 1. ff. de publ. & vectig. aurum L. un. C. de aur. publ. persecut. argentum L. 1. pr. ff. de aur. argent. legat. L. un. C. de arg. pret. nec minùs de corporibus animatis, tam vegetabilibus seu plantis, L. 10. & L. 48. §. 1. ff. de usufr. L. 80. §. 21. ff. de contr. empt. quàm de sensitivis seu brutis L. 1. ff. de J. & J. pr. Inst. de J. N. G. & C. & rationalibus seu homine, quem rectè subjectum Jurisprudentiæ nominaveris §. fin. de J. N. G. & C. item de modo nascendi L. 12. ff. de Lib. & posthum. L. 3. C. de posthum. L. 2. ff. de mort. infer. & de multò pluribus aliis. Denique non in Dialectica duntaxat, sed & Jurisprudentia agitur de diversa facultate disputandi. e. g. de Sophismate L. 177. ff. de V. S. L. 56. ff. de R. J. sorite. LL. moxi citt. L. 88. pr. ff. ad L. falcid. de conjunctionis ambiguitate. L. 85. ff. de hered. instituend. quare neutiquam mirandum, quòd hæterodoxus & acerbus ille Criticus Thomæsius de Nævus Jurisprudentiæ Romanæ in præfat. inter Nævus Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ n. 4. referat neglectum Philosophiæ tam à docentibus, quàm discipulis.**

Sed necdum satis, ulteriùs progreditur Jurisprudentia, dum etiam Arithmeticam, Geometriam, & Astronomiam sibi proprias esse cupit. Numeros expendit Arithmetica, eosque addendo, subtrahendo, multiplicando, dividendo in ordinem redigit; accuratam quoque calculi rationem Jurisprudentia præscribit in *L. 88. §. 3. ad L. falcid. L. 7. ff. solut. matr. quin & Characteres Arithmetici 1. 2. 3. 4. 5. qui quinque abhinc sæculis in usu non fuere. Acta Lindaviens. fol. 805. ex Juris praxi hodie recepti sunt. Qui apud veteres Geometria carebant, anfas Philosophiæ habere negabantur, ut dixit Xenocrates & Persius Satyr. 1. *secto in pulvere metas scit risisse vaser.* Etiam suos, ut perfecti sint, hac arte excultos petit Jurisprudentia *L. 2. C. de mathemat. sine hac enim in finium regundorum judicio illis hærebit aqua; hinc docet, qua ratione fines determinandi tot. tit. ff. & C. fin. regund. tot. tit. ff. de term. mot. tot. tit. si mens. fals. mod. dixerit. Insulæ dividendæ §. 22. Inst. de R. D. L. 7. §. 3. L. 29. & L. 30. ff. de acq. R. D. L. 56. L. 65. §. 1. ff. eod. Fructus arboris in confinio**

naturæ dispertiendi sint. §. 11. *J. de R. D. L. 7. §. fin. ff. de acq. R. D.* Quid, quòd tota, quanta est, Jurisprudentia instruat, quomodo jam proportionem arithmetica, jam geometrica jus suum cuique tribuendum sit, ut videbimus *S. seq.* Astronomia deducit suos in cognitionem astrorum; Jurisprudentia non occupatur quidem circa stellarum magnitudinem, altitudinem & motum, huc tamen pertinet explicatio *tit. C. de malefic. & mathemat.* ubi Astronomia genuinâ à spuria, salutaris à malefica discernitur, hæcque seriis coërcetur poënis.

6 Quid dicam jam de Philosophia, quæ antonomasticè practica dicitur, seu de Ethica & Politica; hæc enim, si objectum ejus attributionis spectes, ex assè Jurisprudentiæ est, nec aliter ab illa, quàm species à genere differt, ut paulò post dicitur. Siquidem & Jurisprudentia de dirigendis ad finem suum actionibus humanis, de moderandis animi passionibus agit, ponderatisque accuratè circumstantiis ætatis, loci, temporis & modi examinat, quantum quis ab illo abstrahatur irâ, furore, prodigalitate, ebrietate morbo &c. *L. 6. §. 7. ff. de re milit. L. un. C. si quis Imp. maledix. L. 7. ff. ad L. Jul. majest. L. 38. §. 1. ff. de pœn. L. 14. ff. de off. præsid. L. 48. ff. de R. J. L. 3. C. de testibus. L. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. majest. L. ult. C. de pact. tot. tit. ff. de Curat. furios. &c.* quin & eundem cum Ethica & Politica per illas finem respicit, bonum nimirum non privatum tantùm, sed & publicum. de quo infra §. seq.

7 Quàm propria verò, imò quàm necessaria sit Jurisprudentiæ Rhetorica, illa eloquentiæ magistra, me vel tacente loquentur tribunalia omnia, quotquot Jurisprudentia moderatur, testanturque id tituli in Jure innumeri de Judiciis, oblatione libelli, exceptionibus, de advocatis, procuratoribus ac causarum patronis: Sine Rhetorica namque fordescent Leges, ipsaque justitia sponsa ejus selectissima cultu omni spoliata frigebit. *L. 2. & L. 7. C. de Professoribus Lib. 10.* Deme Ciceroni Oratorum Principi admirandum illud Romanæ facundiæ flumen, moxque ad conglomeratas etiã leges torpentem populum, senatum flaccescentem videbis, ipsaque Jurisprudentia contempta ex rostro discedet. Quin etiã notationes Grammaticorum in Jurisprudentia observatæ profunt *L. 2. ff. de divort. L. 1. ff. de tut. pr. J. de testament. tot. tit. ff. & C. de V. S.*

8 Ne tamen jejune admodum medicinam, facultatem illam saluberrimam & præstantissimam physicæ partem dimississe videar, in specie quædam, ex quibus arctior ejus cum Jurisprudentia conjunctio eluceat, exprimenda sunt. Ex medicina enim desumptæ sunt quæstiones plures, quæ in Jure nostro moventur e.g. Quæstiones de partu septimestri *L. 12. ff. de statu hom. decimestri L. 29. ff. de lib. & posth. L. ult. C. de posthum. Nov. 39. Cap. 2. undecimestri L. 3. §. pen. ff. de suis & legit. de Hermaphrodytis L. 10. ff. de stat. hom. L. 15. ff. de test. L. 6. ff. de lib. & post. de numerosa prole eodem partu edenda. L. 36. ff. de solut. L. 3. ff. si pars hered. petat. L. 7. pr. ff. de reb. dub. de monstris & ostentis. L. 14. pr. ff. de statu hom. L. 38. ff. de V. S. pertinere huc quoque videtur *tot. tit. de vent. inspiciend.* Cujus usus haud ita pridem in serenissimis etiã familiis finem intentum obtinuit. Item *L. 1. cum seqq. de edil. edict.* quatenus de servis morbo vitiatibus agunt. Privilegia Medicorum aliorumque Professorum publicorum habentur *tit. de Prof. & Med. C. lib. 10.**

9 Injuriam etiã palmarem facerem Historiæ scientiæ nobilissimæ, si de arctâ ejus cum Jurisprudentia necessitudine occasione hac penitus tacerem. Neque enim eandem solùm quo ad Juris originem, quam Historia, pertexit telam *L. 2. ff. de Orig. Juris.* Sed tanta quoque Historiæ

in

in Jurisprudentia est necessitas, ut, qui, illâ neglectâ, hæc obtineri possit, ego quidem non perspiciam: Neque enim mentem Legislatoris rectè, ut decet, penetrabit Jctus, si ignoret, qua occasione, quo tempore, circa quas personas, aut loca aliquid decretum aut ordinatum fuerit. Sic, ut alia taceam, nemo sine temeritate adstruet, legem unam correctoriam, alteram correctam esse, nisi prius ex Historia didicerit, quæ prior, quæ posterior fuerit, Legumque Chronologiam teneat. Et verò, quis ita peregrinus in Jure esse possit, ut nesciat, Jurisprudentiam publicam Germaniæ, sine qua tamen hodie vix ullus altiùs in jure eluctabitur, non ab alio ferè principio petendam, quàm à longæva consuetudine, hancque aliunde haberi non posse, quàm ex antiquitatis Germanicæ Historia: Quàm parùm igitur hæc Jurisprudentia sine suo principio, tam parùm esse poterit sine accurata & critica Historia Imperii Romano-Germanici. Videatur Colendisimus Pater Collega R. P. Ignatius Schvvarz in *Colleg. Histo. part. 1. in proleg. Hist. q. 6. conclus. 4. & 5.* ubi pluribus & solidè probat, Historiam ad Jurisprudentiam privatam saltem strictè moraliter, ad publicam verò Germaniæ physicè aut etiam metaphysicè esse necessariam; & consequenter sterile littus arare, aquàmque per cribrum haurire, qui, neglectâ Historiâ, operam suam Jurisprudentiæ addicunt.

Ex his jam in aprico esse reor, præstantissimam haud dubiè facultatem esse Jurisprudentiam; imò facultatum & scientiarum omnium Amplissimum Emporium, in quo honorificentius nunquam obtinebit domicilium, nec optatum faciet lucrum, qui aliis in scientiis leviter duntaxat tinctus, aut rudis omnino invenitur. Non igitur amplior aut speciosa nimis, ut quidam putabant, est definitio Imperatoris, dum dicit §. 1. *J. de J. & J. Jurisprudentia est divinarum & humanarum rerum notitia, justique atque injusti scientia.* Est enim latissimè patens, resque omnes comprehendit, quin & scientias omnes, quatenus ad finem ab ipsa intentum profunt, complectitur, hinc Ulpiano L. 1. §. 5. ff. de *extraord. Cog.* dicitur *sanctissima sapientia*, eo nimirum in sensu, quo Aristoteli *Lib. 1. met. C. 1.* complexum plurium vel omnium scientiarum sapientia, iisque instructus sapiens appellari potest. Est scientia publica non subditis modò proficua, sed & Imperantibus ac Regibus digna, qui absque illa nec justum ab injusto discernent; siquidem illa est *justi atque injusti scientia.* Nec quid æquum, quid bonum, satis perspectum haberent, quia ut Ulpianus eam ex Celso definit L. 1. pr. ff. de *J. & J.* Jurisprudentia est *ars equi & boni.* Verbò, ut cum laudato Jcto Encomiorum illius Iliadem in nuce concludam, Jurisprudentia est *vera non simulata Philosophia* L. 1. cit. §. 1. in *fin. vera*, quia studet promovendæ felicitati publicæ ac notitiam suam ad usum transfert & salutem hominum. *Non simulata*, quia non vana, non fucata, non umbratilis est, non futili ac puerili argutiarum meditatione occupatur, non hircocervos, vulpanferes, aut asininas umbras cum rabularia expendit, sed sacerdos Justitiæ Deæ huic sacratissimæ quotidianas immolat hecatombes. Utrùm verò hæc omnia in rigore etiã philosophico de Jurisprudentia dicantur, dabit §. seq. ubi prius adhuc aliam questionem de Jurisprudentiæ necessitate discusserimus.

CONTROVERSIA I.

Utrùm Jurisprudentia & Juris-Consulti in Republica sint necessarii?

UT status hujus controversiæ ritè intelligatur, sciendum, non quæri hic, utrùm Jurisprudentia naturalis, hujusque sacerdotes Reipublicæ

6 *De Existentiâ & Præstantiâ Jurisprudentiæ in Genere.*

cæ humanæ necessarij sint, quia cùm homo seu animal rationale sine jure aut lege naturali esse non possit, hancque auctor naturæ Deus, ubi capacem viderit, necessariò illi per dictamen rationis ingerat, urgendo actus naturæ rationali debitos, illicitos vetando; aliàs dari posset creatura rationalis, cui nec cultus Dei præceptus, nec blasphemia prohibita foret, quod ut videbimus *cap. 2.* implicatorium omnino est: multò minùs dari poterit respublica humana sine lege dirigente, & consequenter sine Jurisprudentiâ naturali, ejusque ministris.

12 Æquè parùm intelligi potest hæc quæstio de Jurisprudentiâ Divina positiva, nisi quis eò dementiæ prolaberetur, ut dicere non erubesceret, leges illas sanctissimas, quas Deus ter Optimus Maximus legibus suis naturalibus & necessariis in omni hominum statu superaddidit, generi humano etiam post lapsum minùs necessarias, sicque nec utiles fuisse. Nam Legibus his semel positis & promulgatis, harum cognitio, Legum cognitione habita, earum applicatio, quæ à Jurisprudentiâ nullatenus distinguitur, non moraliter tantùm, sed & metaphysicè necessaria est.

Eadem, quæ de Legibus Divinis, ratio est de Legibus, ab Ecclesia infallibili illa cœlestis hujus Jurisprudentiæ Præsidi ac Magistra, divino instinctu constitutis. Frustra verò es, si opponas, leges has Deo voluntarias & liberas, adeoque nec homini, etiam post lapsum necessarias fuisse. Quàm inepta enim hæc sit illatio, ex ista liquet: Facienti, quod est in se viribus gratiæ supernaturalis, aut etiam, ut aliqui volunt, viribus naturæ, removendo scilicet prohibens, Deus liberrimè dat gratiam supernaturalem, ut unanimiter docent Theologi: Igitur ad opera bona & conducentia ad salutem gratia supernaturalis homini necessaria non est; quæ consecutio infandum errorem Pelagii ab Ecclesia confixum continet. Fallis quoque, si ita arguis: Leges hæc Divinæ positivæ homini ante lapsum necessariæ non fuerunt: Igitur nec iis indigebit post lapsum; aliàs etiam hæc consequentia teneret: In statu Justitiæ originalis nullæ Leges de Baptismo, nullæ de poenitentia &c. fuissent: Ergo nec generi humano lapsò necessariæ sunt. Advertes utique, quàm malè ac heterodoxè concludat argumentum, quòd à liberrimo Dei in homines dominio ad summam eorum indigentiam, à felici illo naturæ integræ statu ad miseram hanc, quam vivimus, conditionem ducere cogitas.

13 Ut tamen pleniùs intelligas, quid de Jurisprudentiâ hac Divina sentiam, paucis sic habeto. Stante hac providentiâ, qua Deus ex infinita sua misericordia hominem lapsum erigere, perditumque pretioso suo sanguine redimere ita decrevit, ut cooperando mediis gratiisque, largissimè à se suppeditandis, non à lapsu tantùm adamitico, sed à propriis etiam resurgere, divinamque illam, ad quam conditus est, gloriam consequi possit, hac, inquam, stante providentiâ & decreto, necessariæ omnino fuere Leges Divinæ positivæ, quibus angustior illa ad cœlum via nobis panderetur; quia verò hæc necessitas consequens est ad Decretum illud Divinum, atque hoc ipsum indifferens ad has vel alias Leges, liberæ Deo & voluntariæ dicuntur hæc leges, quamvis ipsa legum, qualescunque Deo placuerint, notitia, adeoque Jurisprudentiâ Divinâ homini ad finem suum consequendum necessaria omnino sit. Sicut ergo facta hypothese, quòd homo existat, necessaria est Jurisprudentiâ naturalis, ita posito tali Redemptionis decreto, necessaria est Jurisprudentiâ divina.

14 Proposita igitur quæstio, nisi quis & naturam hominis exuere, fidemque christianam abjicere cogitet, procedere duntaxat potest de Jurisprudentiâ merè humana. Utrùm verò de hac sola loquantur recentiores

res

res quidam Critici, vel ipsam etiam Jurisprudentiam divinam, adeoque fidem quoque christianam, ne dicam orthodoxam, occultis simul petant cuniculis, qui, ubicunque quæstio hæc incidit, eò unice collimant, ut Jurisprudentia omnis ad Jus Naturæ & Gentium reducatur, cæteris verò Jctis omnibus, qui alteri quàm huic se suæque consecrant studia, igni & aquâ interdicator, aliis judicandum relinquo, mihi enim pro nunc saltem, non vacat, nec tempus est, diutiùs reflexioni huic meæ immorari, sed id solum in præsentiarum paucis contendo, Jurisprudentiam etiam merè humanam unà cum egregiis Juris hujus Consultis Reipublicæ Christianæ oppidò necessariam esse.

FUNDAMENTA NEGANTIUM.

Quod ut planiùs conficiam, sine, videamus priùs, quì Novatores hi despotici admirandum hoc suum, si superis placet, inventum periuadere conentur. Sic autem ferè pro hac causa sua perorant. Si Reipublicæ Christianæ Jurisprudentia merè humana necessaria foret, esset hæc vel Jurisprudentia Civilis, vel Canonica? Non Civilis, nam

I. In statu Legis Naturæ etiam fideles, & Dei veri Cultores nullis Legibus humanis adstricti vivebant, sed iis, quas natura ac lumen rationis suggerebant, contenti finem sibi præfixum consequi potuere. Sic pariter teste Augustino *de Civitate Dei Lib. 4. Cap. 6.* in principio rerum, quo gentium nationumque Imperium penes Reges erat, populi nullis Legibus tenebantur: Quin ipse etiam populus Romanus initio Civitatis sine Lege, sine Jure primùm agere instituit, donec à Romulo Leges quasdam curiatus obtinuisset ut loquitur Pomponius L. 2. §. 1. & 2. ff. *de orig. juris.* Multò minùs igitur hodie Reipublicæ Christianæ, tot legibus non naturalibus tantùm, sed & divinis circumscriptæ, necessariae erunt leges civiles. Ad hoc

II. Dato etiam, leges civiles & politicas Reipublicæ simpliciter necessarias esse, id tamen de legibus, in Corpore Juris clausis, defendi nullatenus potest; siquidem leges illæ non sunt, nisi ænigmata, obscura sphingis paradoxa, incerta Sibyllæ folia, secum invicem sapissimè pugnantes, ac tenebris plusquàm cimмериis involutæ. Imò plures ex illis fovent peccata; docent namque mendacia in actione publiciana pauliana &c. deceptionem in venditione L. 16. §. *pen. ff. de minor. dolum* dissimulant in compensatione L. 36. ff. *de dol. ac denique rixas in judiciis accendunt; notæ enim sunt Exceptiones, replicæ, duplicæ, triplicæ &c. quibus lites sunt immortales, ut de suo jam tempore conquestus est Justinianus L. 13. C. de jud. ac jam priùs Juvenalis satyr. ult. ubi ita canit: *lentaque fort pugnamus arena, & res atteritur longo sufflamine litis.* Quò etiam pertinet tritus olim de Camera Spirensi sarcasmus, quo dicebatur Camera Spirensis lites spirare, nunquam expirare, litigantes verò sperare, nunquam aspirare. Et utinam lites nostro in Imperio unà cum hac Camera exspirassent, mitiùs certè ferendum fuisset infandum illius fatum: Non ergò necessariae, non utiles, sed noxiæ sunt hæc leges Reipublicæ Christianæ. Denique*

III. Etiam si leges aliquæ politicæ necessariae forent, eliminandi tamen penitus essent Jcti Doctores & Advocati. Quid enim legibus etiam præstantissimis funestius, quàm tot diversæ Doctorum sententiæ, tam operosæ interpretationes? quibus tenor legum etiam clarissimus, mensque Legislatoris plena in meridie posita, penitus obscuratur, ipseque

Legislator ea, quæ neque per somnium vidit, vel invitus loqui cogitur: Neque enim his stantibus mirandum, si non faciliè reperiatur sententia tam absurda, causa ita violata, quæ tot ex interpretibus suos non habeat Basiatores *arg. Nov. 44. Cap. 1. §. 3.* quid verò Rebus publicis, ipsisque Justitiæ sacrariis & tribunalibus perniciosius esse possit, quam millenæ Advocatorum fraudes & sophisticæ illusiones; hi namque proprium quarto modo sibi esse putant, artique ac gloriæ ducunt, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ vera sunt, falsa ostendere, quæ falsa, vera demonstrare &c. Verbò, jus & justitiam sus deque habere, ut nulla sit obligatio tam firma, nullum pactum tot cautelis septum, quod non ab uno vel altero impugnetur, quin & sæpius omnino convellatur, & tamen ministri justitiæ audire cupiunt togati hi vultures, modò truncato aliquo textu, aut ad rem non faciente lege, vel etiam sinistra unius vel plurium interpretatione tueri se valeant. Hinc, quidquid ad illos deferas, si vel fabulam ex Æsopo de asino mustum bibente, de lana caprina, de umbra asini illis proponas. Carpzovius *P. 1. C. 1. def. 18.* mox leges ac interpretum auctoritates in promptu habent Leguleji hi excentrici, tibi que causam adjudicant Judices æquissimi, pro suo potius marsupio, quàm pro te solliciti: ut rectissime cecinit Martialis ille Britannicus *Lib. 1. V. 54. jurisprudentes prudentes jure vocantur, tam benè cum studeant, provideantque sibi.* Quòd si tibi nummi deficient, nec, quod in hos patronos tuos expendas, super sit, tunc enim verò causam tuam perditissimam asserent, aut nervo suo destitutam destituent, verissimumque videbis illud laudati Poëtæ *Lib. 1. V. 102. Cantabunt reduces coram latrone clientes; semper enim vacuus currit ab urbe cliens.* Ut adeò sapientissima omnino Constitutio Friderici II. qua omnes Doctores à Judiciis exclusos voluit, ut refert Espach *ad Carpzovium in Præfat.* mósque laudatissimus & ubique sequendus videatur, quo in Regno Congi nullus Advocatis & Rabulis forensibus in Judiciis locus conceditur, sed ipse Rex causas controversas vel tribus verbis expedire solet.

18 Sed neque maior est necessitas aut utilitas Juris Canonici vel Canonistarum in Republica Christiana, quatenus hoc leges merè humanas continet; tum ob rationes præcedentes, quæ omnes huc quoque quadrare videntur, vel ideò etiam, quòd magna pars Canonum & Decretalium ex Jure Civili desumpta sit, tum & præcipuè, quia etiam si Romano Pontifici potestas ferendi Leges Ecclesiasticas, totam Ecclesiam stringentes, cum scriptoribus orthodoxis concedatur, vix tamen, ac ne vix quidem sine ingentibus turbis hanc potestatem exercebit; neque enim sperare licet, easdem omnino leges tot populis, ac nationibus diversi adeò genii ac indolis proficuas, sicque ab illis, qua decet, submissione recipiendas esse. Quid? quòd & pugnancia Juris Canonici cum Jure Civili, quæ tamen nunquam ex toto evitari poterit, non parum ejus utilitatem imminuere videatur. Quod ipsum fortè etiam in causa fuit, cur Thomasius *de Nev. Jurisprud. Rom. in præfat. §. 10.* inter nævos Jurisprudentiæ Romano Germanicæ primo loco ponat, introductionem Juris Pontificii in Germaniam; Leges enim invicem pugnantes, quæ diversis à Legislatore emanant, litibus publico summè noxiis patentem pandunt januam, conformitatem inter subditos tollunt, pacemque civitatis turbant, ac penitus pessumdant, & consequenter nec utiles nec necessariæ, sed potius noxiæ erunt Reipublicæ. Quidni igitur omnes, quibus Respublica cordi est, cum Isaia exclamant: Solus Deus & Dominus Legifer noster *cap. 33. v. 22.* Cum jus naturæ Divinæ conjunctum abunde nobis sufficiat.

DEMON-

DEMONSTRATUR OPINIO AFFIRMATIVA.

Verùm tantùm abest, ut exorbitantia hæc differia movere nos possint, ut vel ex his ipsis firmiter statuamus, Jurisprudentiam merè humanam non modò politicam, sed & Ecclesiasticam cum utriusque Jctis Reipublicæ Christianæ summè necessariam esse, consentiunt cum Eximio *Lib. 1. de LL. cap. 3, n. 17. & seqq.* omnes meliùs sentientes, quibus subscribunt Struvius in *Evolut. controv. Q. 1.* Hahn *controv. 1.* & verò assertum hoc nostrum probare videtur I. infallibile effatum ipsius Dei, qui habitis jam Legibus naturalibus & Divinis veteris testamenti disertè per Salomonem pronuntiavit: *Per me Reges regnant, & Legum Conditor; es justa decernunt. Proverb. cap. 8. v. 14. & iterum cap. 11. v. 14. ubi non est Gubernator, vel ut alii legunt, Legislator, populus corruet.* Sed Legislatores hi, qui per Deum justa decernunt, populùmque, ne corruat, sustentant, indubitato Legislatores humani sunt: Sicut autem Creator sine Creatura, ita Legum Conditor sine Legibus esse non potest: Leges verò, ut Leges & utiles sint, promulgationem, cognitionem, & applicationem exigunt, cognitio & applicatio Jurisprudentiam, hæc Jctos efficit. Aristoteles 4. *Pol. cap. 4. L. 2. §. 13. ff. de orig. Jur.* ibi: *Quantùm est enim jus in civitate esse, nisi sint, qui jura regere possint.* Igitur, si in Republica Christiana necessarii sunt Legislatores, nec Jurisprudentia nec Jurisconsulti sine gravissimo ejus periculo abesse poterunt. Sed etiam tacente verbo Dei, vel ipsæ Leges naturales & divinæ, earùmque indoles necessitatem Legis humanæ, adeoque Jurisprudentiæ controversæ loquerentur. Nam

II. Certum est, regulam juris naturæ, qua homo ad finem suum naturalem ducendus foret, nimis generalem esse, & ad summum ad ea extendi posse, quæ ex illo necessaria & evidenti consecutione deducuntur, quæ ipsa tamen à paucis penetrantur, à paucioribus ritè deducuntur: Imò ipsam hanc regulam Juris naturæ, quæ, quid faciendum, quid omittendum, præscriberet, hodie adhuc inter Doctores vel maximè controversam esse: Ex his autem tam universalibus principiis, ex deductis vix uni vel alteri cognitis, ex Regula adeò incerta hominem animal illud sociale sufficienter instructum esse posse, quò in singularibus quibusque circumstantiis Deo serviat, sibi consulat, proximi bonum promoveat, publicum civitatis priùs, quàm privatum suum commodum quærat, Reipublicæ potiùs, quàm sibi vivat, jam huic, jam alteri communitati utile membrum se exhibeat? Hoc enim verò figmentum est ideis Platonicis insolentius; neque enim quod in his, etiam in aliis circumstantiis semper licitum ac prohibitum est, quòdque uni civitati proficuum, alteri noxium erit. Vel igitur homo ex Jure naturæ animal sociale aut etiam rationale non est, vel ipse Auctor naturæ, qui sua in Lege nec circumstantias omnes satis expressit, nec inter civitates distinxit, Leges humanas politicas exiget, quibus in specie magis atoma determinetur, quod ad civitatis ipsiusque hominis finem consequendum magis aptum ac necessarium videretur. Hinc etiam sapientissimi quique Ethnici præter jus naturæ, quod præ reliquis cognitum habebant, alias adhuc Leges exigebant, & Plato ille divinus *lib. 9. de LL. præpè fin. necesse est, inquit, Leges hominibus ponere, ut secundum Leges vivant; nam, si absque his vixerint, nihil à feris atrocissimis discrepabunt.* Nec aliter sensit Aristoteles magistro hoc suo, si non major, certè non inferior *lib. 1. Polit. cap. 2. ubi hanc in rem*

ita

ita loquitur: *ut perfectione suscepta, optimum omnium animalium est homo, ita si alienus fiat à Legibus & judiciis, pessimum est omnium animalium.*

21 Simile fere ratiocinium fundare possunt divinæ & adorandæ Leges illæ, quibus Redemptor noster Divinissimus Congregationem suorum fidelium, quam Ecclesiam appellamus, instruxit; siquidem & istæ non disponunt in particulari de omnibus, quæ ad spirituale Regimen Ecclesiæ convenientia esse poterant, sed substantialia duntaxat, ac universalia hujus spiritualis Reipublicæ fundamenta exhibent, sicque haud dubiè denuò Legislatores humanos requirunt, Ministros scilicet & Pastores Ecclesiæ, Christi præprimis in terris Vicarium, & Divi Petri Successorem, qui ex his ipsis Leges magis particulares deducerent, quibus, quæ pro locorum & circumstantiarum varietate congruerent, potestate à Christo sibi concessâ declararent. Neque hoc sine altissimo divinæ sapientiæ mysterio factum est, tum ut suavius ac modo hominibus convenientiori omnia ordinarentur, tum ut leges hæ sacratissimæ majorem simplicitatem à conditore divino participarent, quàm Leges Veteris Testamenti habuissent; hæ enim præterquam, quod nec universales essent, sed ad solos Judæos pertinerent, reliquas verò gentes non nisi volentes stringerent, nec perpetuæ, sed ad Messiaæ adventum restrictæ erant, & consequenter suapte naturâ mutationi et abrogationi obnoxia. Quin etiam, ut alia taceam, Leges Veteris Testamenti vivente adhuc promulgatore Moyse, divinæ ex dispensatione vel in moralibus varias subiere mutationes, ut videre est *Deuter. 21.* ubi Judæis dispensativè concessa supponitur pluralitas uxorum *Deuter. 24.* ubi ita concessus legitur Libellus repudii. Plura dabimus ubi de *jurispr. div.* nihil simile timendum in Legibus divinis Novi Testamenti, utpote quæ non modò genus humanum univèrsum ligant, sed etiam ad usque mundi finem sine mutationis alicujus dispendio duraturæ sunt, idque beneficio legum illarum particularium, quas pro diversitate circumstantiarum à Vicariis suis & Ecclesiæ Ministris Legislator divinus diversas exigit; Ecclesiasticas quidem & Canonicas, atque ad finem supernaturalem tendentes; humanas tamen, seu à voluntate humana profectas, & vel ideò potissimum mutationis capaces, ut sponte sua factus est Innocentius III. *cap. 8. de consang. & affin.* ubi ait: *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens utilitas vel evidens necessitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, non nulla mutavit in novo.* Si autem ipsum jus naturæ Leges humanas politicas; jus divinum Novi Testamenti Leges Ecclesiasticas exigit, ut Reipublicæ humanæ & christianæ prodesse possint; utriusque etiam Jurisprudentiæ & Jctis, sine quibus leges illæ evanescent, vel maximè indigebunt. Id quod ex necessitate judiciorum plus quàm manifestum est. Siquidem

22 III. Si jus naturæ hominem socialem exigit, si nativam illi inclinationem ad societatem indidit, jus verò divinum talem ipsum supponit, simul etiam Imperium Magistratum ac publica judicia requirant, oportet; tolle enim ex humana societate Imperium ac Magistratum, & judicia subtilisti, sublatis judiciis, sonabunt perjuria, tonabunt blasphemix: exulabit licentia, exulabit pudor: Ardebunt odia, arebunt studia: dominabitur furor, minabitur invidia: sæviet tyrannis, libertas serviet: incendet, quacunque incedet libido, ridebitur, ubi videbitur probitas: impetrabit, quidquid imperabit ambitio, bellabunt cives, scindentur populi, excindentur gentes. videatur *Can. 1. dist. 8.* Cùm igitur nec jus naturæ nec divinum Novi Testamenti aut judicibus aut pro judiciis sufficientes Leges præscribat,

scribat, quales tamen in veteri illo Deus populo Israëlitico dedit, nec hodie Magistratus ac Judices eam summi hujus Legislatoris familiaritatem sperare possint, quam ibi Moyses expertus est, ex tacito ejus Imperio Legibus humanis tam Ecclesiastici quàm Politici fori judicia instruenda erunt, ne fortè humani Judices, si lites emergentes eorum arbitrio aut discretioni ex æquo & bono decidendæ relinquuntur, in defectu omnis normæ in transversum agantur, cœcòque livore aut privata passione abrepti justitiam ac æquitatem omnem, si spuriam illam & cerebrinam excipiamus, suis ex tribunalibus proscribant, *justum enim est, non quod nobis videtur, sed quod Lex dicitur*, ut verisimè dixit Præceptor Cyri apud Xenophontem in *Pædia*; Legislator námque multa deliberatione ac de futuris legem constituit, nec privato suo commodo duci potest: Judex de præsentibus aut præteritis, ac sæpè ex stapede sententiam pronuntiat, & jam timore jam amore à veritate aut justitia averti potest, nisi à superiore adstringatur, si non jurejurando, ut Judices Athenienses, saltem simplici pacto, ut sententiam secundum Leges ferat. Andocides *in orat. de mysteriis*. Profectò, si Judex æquus & bonus, etiam quando secundum Leges, easque claras, ac omnibus cognitas judicat, à calumniis, & sæpè à violentia vix securus est, quas non turbas vel proprio capitis periculo in republica cieret, qui causas omnes suo ex arbitrio definiret? contra verò quid non malus & improbus tentaret, si solutis Legum omnium repagulis propria ex libidine quid æquum, quid iniquum statuere posset? sed ne in re adeò aperta nimis diu luctari videamur.

EXPLODUNTUR CAVILLI OPPOSITI.

AD inanes logos illos & cavillos, quibus sententia hæc nostra frustra²³ impetitur, paucis respondendum. ad *n. 15.* dico, etsi fortè in statu juris naturæ Leges humanæ propriè dictæ defecerint, saltem antequam homines in civitates majores coirent, quilibet tamen paterfamilias suos in domesticos, patérque aut etiam mater in liberos imperium exercebat, quorum præcepta ac arbitria subjectis pro legibus erant. Per dicenda *cap. 2.* & tali præcepto vel arbitrio humano, aut potius consuetudine, ut sentit Chrysostomus *hom. 24. in Genes.* jam ante diluvium introducta fuit illa discretio animalium in munda & immunda, de qua *Genes. 7.* quin & ipse auctor naturæ Deus legem naturalem tunc temporis variis præceptis particularibus adjuvabat: Sic in statu innocentia protoparentibus nostris prohibuit, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent *Genes. 2.* post peccatum autem ex communi Theologorum datum fuit hominibus præceptum de usu alicujus sacramenti, quo possent non solùm adulti, sed etiam infantes à peccato originali purgari: bina quoque præcepta DEI, post diluvium homini data, habentur *Genes. 9. ibi: Carnem cum sanguine non comedetis &c. & quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Denique ipsa Lex circumcisionis, quæ haud dubie divina erat, jam ante Legem Moysis Abrahæ data fuit, & ideò *Joann. 7.* dicitur fuisse non ex Moysè, sed ex Patribus. Ex mente Suarezii *lib. 9. de leg. cap. 1.* præceptum hoc fuit inchoatio quædam Legis veteris scripta, utpote quæ à Deo singulari ratione fuit anticipata per tempus aliquod sufficiens ad multiplicationem populi specialiter electi. Ut adeò certum videatur, etiam in statu naturæ homines non solo rationis naturalis ductu, sed & Legibus divinis ac Superiorum imperiis ad ultimum finem suum consequendum indiguisset: cessantibus igitur imperiis istis privatis, & publicis in ci-

vitatibus amplissimis, in quas familiæ coaluere, urgentibus, leges non modò politicæ, sed etiam Ecclesiasticæ necessariæ sunt, ut homo ad finem suum tam naturalem quàm supernaturalem promoveatur, idque ex præscripto, ut diximus, ipsius juris naturæ & Divini, quod Christiana hodieum adorat Ecclesia; prius enim homini, per peccatum excoecato, non satis perspectum, posteriùs circumstantiis individuantibus primum ab Ecclesia adaptandum est.

Eadem ferè responsio servit ad illud Augustini; addit enim ibidem: *Arbitria Principum pro Legibus erant.* Nimirum dum civitates adhuc erant parvæ; siquidem ex minimo crevere Regna & Imperia. At hodiè ubi civitates ultra modum auctæ, adeò populosæ sunt, imperantium arbitria sufficere non possunt, sed Legibus ritè promulgatis, ac totum populum stringentibus agendum est. Accedit, quòd D. Augustinus verba relata non ex sua, sed ex mente Justini aut Trogi Pompeji referat, subjungendo: *Illos quædam mentios fuisse, fideiiores litteræ ostendunt.* videatur cap. 6. cit. Hoc ipsum confirmatur ex L. 2. in argumento objecta; ait enim Pomponius, quòd Populus Romanus initio civitatis, dum nempe urbe inclusus lateret, aut vix ultra muros terminos suos protenderet, sine Lege certa, sine certo jure vixerit, sed omnia manu, id est imperio à Regibus ordinata fuerint, donec, crescente cum populo Imperio, Leges utilitas & necessitas suasit. Quamvis verò Regibus exactis Lege tribunitia etiam Leges à Regibus latæ exoleverint, populùsque denuo incerto magis jure & consuetudine, quæ utique vim Legis habet, quàm Lege scripta perviginti propè annos egerit, rursus tamen necessitas Legem scriptam peperit, & quidem famosam illam, quæ à duodecim tabulis nomen habet. L. 2. cit. §. 3. & 4. Lex autem seu jus constare non potest, nisi sit aliquis Jurisperitus, per quem possit quotidie in meliùs produci, ut ait Pomponius §. 13. L. 2. cit.

24 Ad II. respondeo, Cavillum hunc supposito laborare, non enim quærimus, utrum hoc ipsum Jus Canonicum & Civile, quod in utroque Juris Corpore clauditur, Reipublicæ Christianæ necessarium sit? Sed id solum indagamus, an Reipublicæ Christianæ salus præter Leges naturales & divinas Leges etiam humanas exigit? Atque hoc unum asserimus non verò alterum, multò minus contendimus, Leges Civiles illis, quibus hodiè vivimus, meliores statui non potuisse; hoc enim verò nec ipsi Legislatòres sapientissimi, cum homines se esse sciverint, sibi arrogarunt, ut clarum fit ex *constit. tanta §. 14. de Confir. Digest.* Etsi autem nullatenus diffitendum, in Corpore Juris Civilis præcipuè hinc inde, rariùs tamen, Leges inveniri aliquantum obscuras, ac apparenter contrarias, de quo infra suo loco, non ideò tamen statim totum corpus projiciendum erit. An fortè, quòd unus ex Evangelistis Salvatorem nostrum hora tertia; alius hora sexta crucifixum scribat *Marc. 15. v. 25. Luc. 23. v. 44.* aut quòd omnes omnium temporum hæretici sectæ suæ præsidium ex sacra scriptura, non ubique æquè clara infrunitè quæsierint, illa continuò rejicienda & damnanda erit? Hoc sanè nemo sapiens statuet, sed id duntaxat mirabitur, recentiores hos criticos, etsi nec plures vel minimum ex JCtis antiquis æquarent, insolenti adeò arrogantia vel summos arrodere, nec purpuratis adeò Legislatoribus parcere; quasi verò hi soli nihil humani paterentur, egregii, si superis placet, Justitiæ vindices, Legùmque restauratores, qui nihil non agunt, ut Leges positivas omnes convellant, jusque naturæ suum ad arbitrium fingant & refingant.

25 Sed Leges civiles peccata fovent, docent mendacia in actione publiciana

etiana Rescissoria, Pauliana &c. at unius diei tyro sit, oportet, cui æquissimæ juris fictiones mendacia videntur: ementibus & vendentibus *L. 16. cit.* circumventionem naturalem permittit; sed intra latitudinem summi & infimi pretii, quod, quia utrumque hoc pretium justum est, non tam deceptio, quàm industria est; si verò ultra dictam latitudinem, non tamen ultra dimidium contingat læsio, nullum quidem remedium proditum est, absit tamen, ut illa à legibus etiam civilibus probetur. Quod verò duo, qui dolo malo fecerint, invicem de dolo non agant. *L. 36. cit.* iniquum non est; compensatio enim duorum debitorum sive ex delicto sive ex contractu provenientium, justissima est, sic adulteria quoad poenam privatam, puta separationem thori, & mensæ mutua compensatione tollantur. Denique tantum abest, ut rixas in judiciis accendant Leges, ut etiam malo huic omnibus modis cautum velint, defensio & persecutio juris sui, cujus species sunt actiones, exceptiones, replicæ &c. æquissima omnino est, quatenus est necessaria *L. 3. ff. de J. & J.* quod autem judicia non raro in rixas & lites propemodum immortales degenerent, non iuxta sed contra Leges est; quorsum enim saluberrimæ constitutiones *J. tot. tit. de pœn. temer. litig. tit. C. de Jurejur. propt. calum.* quàm ad comprimendam litigantium temeritatem? quid aliud volunt integri in jure tituli de transactionibus, de arbitrariis compromissariis &c. quàm compendiosam litium periodum: Sufficeret profectò vel sola *L. 13 §. 1. C. de jud.* ad confutandam hanc nœniam, in hoc quippe instantiis omnibus, exceptis causis fiscalibus, ne immortales evadant, fatales decernantur termini, biennium nimirum pro causis criminalibus; pro civilibus triennium, quod utinam hodierna consuetudo pro baet, & non tot in judiciis penitus exhaustos numeraremus cives.

Ad III. Sarcasmus hic vitia hominum non legum perstringit, nec Jurisprudentes, sed imprudentes sciolos, ac semitinctos Legum Glossatores, Rabulasque forenses, venales illas animas, impetit; neque enim Jurisprudentes aut Jure Consulti dici possunt, qui Leges alioquin castissimas adulterant, amicam Legibus simplicitatem pervertunt, clarissimum veritatis lumen obfuscant, Leges in omnem formam flexiles, ipsamque justitiam venalem efficiunt: sed odio habeantur peccata non homines. Absit autem hoc de cordatis Doctoribus & timoratis Jctis verisque Juris Sacerdotibus asserere, quippe qui veram colunt justitiam, æquum ab iniquo separant, licitum ab illicito discernunt, Leges utut obscuras in clarissima ponunt meridie, causasque intricatissimas, ac mille modis implicatas summa dexteritate solvunt & explicant, non sine ingenti Reipublicæ emolumento, ut loquitur Imperator *L. 14. C. de Advocat. divers. jud. Advocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpè publicis & privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam parentisque salvarent, quia gloriosa vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Atque de prioribus illis Friderici constitutio exaudienda est, sique illos duntaxat à limine judicii Reges Congenses repellerent, exemplum nobis imitandum proponerent, non verò si probatos etiam, quos requirimus, Jctos excludant: Judicia namque sine Legibus inania sunt, carebrinæ justitiæ automata, Leges sine Jctis putrida sine spiritu cadavera. Hinc qui verè tales & genuinos justitiæ ministros se probant, Nobilitate, privilegiis militum aliisque prærogativis in Jure decorantur; contra verò, qui præclara hac scientia abutentes non prudentiæ aut justitiæ, sed Mammonæ aut Marsupio suo per fas ne-

fâsque etiam prævaricando litant, his privilegiis exuti atque à jure remoti æterna notantur infamia.

27 Similis est responsio de Jure Canonico, neque enim has in specie, quibus hodiè ligamur, Leges Ecclesiasticas necessarias esse contendimus, neque ita perfectas eas esse asserimus, quibus neque quidquam addi, nec demum possit, sed aliquas tantum necessarias esse dicimus, & quidem humanas; adeoque hoc ipso humani quid patientes, & majoris semper perfectionis capaces, quales haud dubiè etiam & multò magis forent; si Romani Pontifices operâ criticorum horum, qui fanatico profus errore primam dotem Jcti autumant, Leges & Legislatores in jus vocare, ac dicam illis acerbam scribere, in concinnandis & combinandis Legibus suis uti voluissent, aut adhuc uterentur; facilius enim est aliena carpere, quam propria à nævis omnibus purgare. Pariter, neque in foro Ecclesiastico omnes probamus Jctos, sed timoratos tantum, Jurisque ac æqui tenaces, atque hos tantum necessarios, reliquos verò à tribunalibus arcendos esse statuimus. Si autem Leges Ecclesiasticæ eadem, utut temperatæ, ac corruptæ etiam hominis naturæ accommodatæ, tam diversis tot populorum nationibus congruere non valent, quæ his ipsis ac reliquis omnibus Leges naturales ac divinæ congruent? An fortè & istas pro gentium diversitate diversas exiges? sicque jus omne convellere tentas? Vides utique, quò infanda hæc tua te gnome abducât, non Christum illa, aut orthodoxam Ecclesiam sapit, sed foetidam Lutheri aut Calvinii haram olet, qui quot republicas tot Ecclesias, vel saltem quot Principes, tot summos Pontifices ac Legislatores sacros ausu sacrilego statuerunt, sicque Ecclesiam totam pulchram Christi sponsam tot capitibus monstrum, hydra Lernæa immanius, aut, quod vel cogitatu horrendum, Christum divinissimum illum Ecclesiæ sponsum, tot Ecclesiis & sponsis junctum polygamum finxerunt. Da populum ferocem etiam & barbarum, juris tamen naturalis & divini patientem, & Ecclesiæ Legibus morigerum videbis; nunquam enim Lutherus & Calvinus suavissimum Ecclesiæ jugum excussissent, nisi jam prius juris naturalis & divini repagula omnia perfragissent.

28 Impudentem criminationem Thomasi non moror, cum ejusdem sit furfuris, eademque ex sentina profluat. Edic enim amice Lector, amabo, ubi heterodoxam adeò thesin fundabis, nisi in rudibus orthodoxæ & Romano-Catholicæ Ecclesiæ? hæc namque si firma steterit, uti semper stabit; cum portæ inferi non sint prævalituræ adversus eam; etiam in Germania Leges Pontificis Romani necessariæ erunt, quibus fideles & orthodoxos Germanos ad Justitiam spiritualem dirigat, atque ad felicitatem supernaturalem perducât; quin tamen in messem alienam involet, aut Imperatori vel Principibus Romani Imperii Jura Majestatis, & potestatem ferendi Leges profanas adimat: Neque ulla Legum harum pugnantia timenda erit, modò Legislator uterque limites suos custodiat, & temporalia à spiritualibus ritè discernat. Ut enim Nicolaus Papa in Epistola ad Michaëlem Imperatorem scribit? *Sed cum ad verum ventum est, ultra sibi, nec Imperator Jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoriam usurpavit, quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, proprie volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur, & idè militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim*

De Existentiâ & Præstantia Jurisprudentiæ in Genere.

si non illi rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus. Can. 6. dist. 69. & tamen sunt hodie dum ex iis, qui orthodoxi haberi cupiunt, & utinam pauci forent, qui nefandam & hæreticam illam Thomasi thesim, jus Pontificium Juri Germanico summè noxium, adeoque abolendum esse, verbis & factis pertinaciter tuentur, sacra profanis miscentes: Sunt ex his ipsis non pauci, qui sacros Canones, nisi quod ipsis libitum fuerit, licitum pronuntiant, cachinnis explodunt, Acatholicis juratis Ecclesiæ & Pontificis hostibus simillimi, qui nunquam jus canonicum laudant, nisi phantasticæ suæ æquitati conveniat: Sunt denique, qui, ut eò audacius jus sacrum pro libidine convellant, SS. Canonum ignorantiam affectant, aut certè non alios, nisi Acatholicos illorum interpretes audiunt, præclaros scilicet Canonistas, qui nomen hoc haud dubiè à proscripto vel combusto Jure Canonico sortiti sunt, non minus propterea infames, quam gloriosus à devastata Africa Scipio Africanus fuit. Sed de hoc plura inferius, ubi de Jure Canonico ex professo agemus.

§. II.

De Essentiâ & Varietate Jurisprudentiæ.

SUMMARI A.

29. Jurisprudentia est facultas, Leges, salutem hominis concernentes, explicandi, adque ad actiones humanas applicandi. 30. &c. Est autem habitus virtuosus intellectus, & quidem practicus. 32. Perstringitur Thomasi, quod habitum speculativum, qui in contemplanda veritate quiescit, stultitia arguat. 33. Jurisprudentia non est intellectus 34. nec sapientiæ 35. &c. Est tamen prudentia; imò idem omnino habitus cum prudentia, prout hæc est virtus intellectualis, quod probatur, & pluribus confirmatur. 43. &c. Jurisprudentia per se & ex intentione propria non est scientia proprie dicta; potest tamen dici scientia per accidens, atque ex intentione Jurisprudentum, utrumque satis fuse probatur. 52. Multò minus dici potest ars. 56. &c. hinc dum in Jure ars & scientia pellatur, termini hi latius accipiuntur. 58. Jurisprudentia universalis ratione objecti rectè definitur, quod sit virtus intellectualis practica, indefectibiliter disponens, ad actus veros,

quibus in universum diriguntur actiones humane juste. 59. Statuitur differentia ab aliis Facultatibus, & dividitur in Ethicam, Politicam, militarem & æconomicam, Politica verò in Architectonicam, & Rectoriam, Rectoria denuò in Legislativam, consultatoriam & judicariam. 60. Magis recepta divisione autem dividitur in naturalem & positivam, positiva in divinam & humanam, humana in sacram & profanam, hæc denique in Jus gentium & civile, civile in publicum & privatum. 61. Quilibet ex his dividitur in theoreticam & practicam, quibus aliqui addunt Historiam. 62. Verùm Historia non est species Jurisprudentiæ. 64. &c. neque hoc nomine digna est Jurisprudentia theoretica, si omni praxi destituta sit. 66. &c. ut nec practica, si theoria careat 68. &c. Hinc confutatur praxis Extex. 71. &c. ac pluribus rejicitur praxis Empirica. 82. &c. & pro merito perstringitur praxis Rabularia. 84. &c. exploditurque praxis Formularia.

Jurisprudentia, ut ex dictis liquet, aliud non est, quam prudentia Legum. Hæc, si Leges sunt ferendæ, dicitur in specie Jurisprudentiæ Legislatoria: Si verò Leges sint applicandæ ad actiones præteritas, dici solet judicialis, consultatoria, denique si actionibus futuris dirigendis applicentur Leges. Legislatoria Jurisprudentia, quamvis à scopò nostro penitus aliena non sit, minus tamen ad institutum nostrum pertinet, quam judicialis & consultatoria, utpote quæ solæ Leges, Legumque notitiam supponunt; neque enim Leges ferendæ alias Leges, quibus

quibus conformentur, per se requirunt: aliàs in infinitum procedendum foret, ut adeò Legislatoria non nisi minùs propriè Juris aut Legum prudentia dicatur, ut vel ex communiter recepta Jurisprudentiæ descriptione colligitur; in hac enim dicitur facultas, Leges, salutem hominis concernentes, exponendi, easque ad actiones humanas applicandi; hæc namque descriptio Legislatoriæ non convenit; sed soli judiciali & consultatoriæ, sive deinde politica sive Ecclesiastica, sive divina sive humana fuerit, sive salutem hominis naturalem sive supernaturalem intendat; omnes enim species comprehendit, simulque ostendit duas esse partes Jurisprudentiæ, nimirum Leges interpretandi, & Leges applicandi: priorem Thomasius de *Jurisprud. divin. cap. 1. §. 161.* Jurisprudentiam Doctorum & Professorum appellat, posteriorem Advocatorum & Judicum, sed perperam; cum utraque in Professoribus & Doctoribus, utraque in Judicibus & Advocatis concurrat; sicut enim stulta foret Judicis & Advocati Legum applicatio, nisi congrua Legum interpretatio præcederet, ita pariter inepta esset Doctoris & Professoris interpretatio, nisi debitam Legum explanatarum applicationem auditoribus suis ostenderet, sicque interpretationem suam factis præteritis aut futuris ac possibilibus in scena saltem umbratili applicaret. Non multum tamen reluctarer, si quis hanc ipsam ob causam Jurisprudentiam Doctorum & Professorum consultatoriam, Judicum & Advocatorum Judicalem dixerit, siquidem illi suis in Cathedris factis tantum futuris consulunt, nisi forte, ut sæpe fit, de factis præteritis à Judice aut partibus consulti respondeant.

30 Ut autem accuratiorem non nihil, magisque methodicam Jurisprudentiæ definitionem pandamus, paulò altiùs ejus indoles rimanda est. Et quidem per Jurisprudentiam intelligi habitum virtuosum, & nominis Etymon, quo prudentia dicitur, & ratio evincit; quò pluribus enim & frequentioribus actibus in intellectu radicata est Jurisprudentia, eò facilior & expeditior erit in Jcto Legum interpretatio & applicatio, quòd habitibus, qui facilitatem operandi augent, proprium est: Quò verò perfectior est hic habitus, eò melior evadet Jctus, opusque ejus, quòd in interpretandis & applicandis Legibus, consistit, perfectius prædabit & melius; quin & optimum semper erit, ubi summam Jurisprudentia perfectionem attigerit, quòd ex essentia sua virtus præstat; est enim hæc ad mentem Aristotelis *Lib. 2. Eth. cap. 6.* habitus potentiam rationalem indefectibiliter disponens ad actus bonos & consentaneos potentia, cui inest.

31 Esse etiam hunc habitum virtuosum virtutem intellectualem, atque inter habitus intellectus, & quidem praticos numerandum, hæc ipsa pariter vox prudentiæ indicat, nec dubitare licet; siquidem Jurisprudentia ritè interpretando & applicando Leges semper verum dicit, nimirum juxta Leges ita agendum, ita judicandum esse; virtus autem intellectualis non moralis est, quæ affirmando vel negando semper verum dicit. Aristoteles *Lib. 6. Ethic. cap. 3.* Est enim virtus, ut idem alibi, dispositio perfecti ad optimum; veritas autem bonum intellectus. quò tamen non obstante practica non Theoretica est virtus hæc intellectualis; neque enim in veritate sua, seu in cognita conformitate actionis cum Lege speculando ex fine suo quiescit, sed ulterius illam, nimirum ad Justitiam, justasque actiones obtinendas ordinat.

32 Sed frontem in rugas contrahit Thomasius, grandique supercilio stultitiæ me arguit, quòd habitum Theoreticum illum dicam, qui in veritatis à se inventæ contemplatione ex fine suo subsistit, crassus hic inquit.

Libi.

Lib. 1. de Jurisprud. divin. cap. 1. §. 23. & seqq. scholasticorum error est, qui non solum rectæ rationi, sed & Theologiæ Christianæ adversatur, juxta quam omnis habitus theoreticus ad praxin, ipsaque metaphysica ac Theologia speculativa per contemplationem Dei ad ejus amorem tendere debet; atque hinc thesi prima, quam ex *tr. cit.* in Universitate sua Fridericiana publicæ concertationi proposuit, ita in doctrinam hanc communem debacchatur: omnes habitus theoretici, qui pro fine tantum habent speculationem, etiamsi multas veritates ostendant, ad stultitiam pertinent, non ad sapientiam. Sed parcius ista insolens quadruplator! age enim, & praxin demonstra, ad quam Metaphysica & Theologia, quæ à speculatione nomen habet, ex fine suo tendere debeat, dum illa ex rationibus naturalibus Deum unum, hæc ex Principiis revelatis trinum & unum demonstrat? ad amorem Dei inquis, qui contemplatione omni longè præstantior est. Bella consecutio, amor Dei contemplatione ejus præstantior est: Igitur Metaphysica & Theologia per contemplationem Dei ad amorem ejus tendere debet, etsi nec regulas de Deo amando habeat, nec doceat, quid sit amor, qua ratione, quando aut quoties elicendus sit, licet in contemplationibus suis de amore nec cogitet, nec aliud objectum operabile sibi repræsentet. Nemo omnium scholasticorum inficiabitur, contemplationem Dei ab Ethica naturali vel Christiana ad Dei amorem ordinandam esse, hic enim non speculationibus duntaxat, sed virtutibus moralibus omnibus major est, & vel solus ad finem hominis consequendum sufficit, at hoc à Metaphysica & Theologia speculativa ex fine sibi proprio præstandum esse, nemo prudens somniabit, nisi qui cum Thomasio scientias omnes confundere, & quadrata rotundis invitâ etiam Minervâ miscere non horreat. Profectò qui vel dormiens tam ineptè somniaret, huic medendo nec tota Anticyra sufficeret. Sed ne ineptiis his diutiùs immoremur, Jurisprudentia vetat, nosque in orbitam revocat, ut ad quam speciem virtutis intellectualis revocanda sit, ostendamus. Quare sit

Jurisprudentia non est intellectus, nec sapientia.

Assertio I. Jurisprudentia non est intellectus, Probatur. Intellectus, qui juxta Aristotelem *Lib. 6. Ethic. cap. 3.* primum Locum inter virtutes intellectuales obtinet, est habitus primorum Principiorum seu veritatum quarundam per se notarum, quibus ultimato scientiæ nituntur, sive deinde sint universales, omnibusque scientiis communes, quales sunt: *Idem non potest simul esse, & non esse: Quodlibet est vel non est.* Quæ axiomata & dignitates dicuntur, sive particulares, modò per se notæ sint, atque ex universalibus illis tanta luce ac evidentia fluant, ut sola penetratione terminorum innotescant, atque intellectum ad assensum rapiant, tales e. g. sunt: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Quæcunque sunt æqualia uni tertio sunt æqualia inter se &c.* Sed veritates tanto splendore conspicuas vel omninò non, vel certè non per se attingit Jurisprudentia; conclusiones enim ejus vel nullatenus procedunt ex primis principiis, vel non tanta evidentia, ut sola penetratione terminorum intellectum ad assensum necessitent; siquidem conclusiones Jurisprudentiæ positivæ non procedunt impetu necessario ex primis principiis, sed fundantur proximè in arbitraria voluntate Legislatoris, ac ad summum negativè pendent ex principiis naturæ, in quantum videlicet iisdem non repugnant; tametsi verò Jurisprudentia naturalis primis principiis utatur, per se tamen illa non attingit, sed supponit tanquam aliunde notâ, nec conclusiones suas ex iisdem tanta evidentia colligit, ut sola penetratione terminorum intellectus in assensum prorumpat. Igitur Jurisprudentia qualiscunque fuerit, non me

*

E

rebitr-

rebitur nomen intellectus, ut vel ex eo perspicuum foret, quod Jurisprudentia sit habitus discursivus, intellectus verò non discurrat, sed veritatibus illis, recta terminorum apprehensione cognitis, simplici assensu subscribat.

34 Assertio II. Jurisprudentia neque est sapientia propriè dicta. Probat. Sapientia propriè dicta, prout est membrum dividens virtutis intellectualis, est *rerum naturâ præstantissimarum scientia & intellectus*, ut loquitur Aristoteles *Lib. 6. Ethic. cap. 7.* definiturque communiter habitus speculativus rerum præstantissimarum per primas & supremas causas, quæ definitio soli Theologiæ, & Metaphysicæ convenit, in quantum agunt de Deo, intelligentiis, & rebus cœlestibus, nullatenus verò Jurisprudentiæ; hæc namque occupatur duntaxat circa actiones & negotia hominum, quibus per causas inferiores leges videlicet, principiorum vices subeuntes, Justitiam conciliare allaborat, hinc dum *L. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit. sanctissima sapientia* appellatur, latiore in sensu accipitur, vel pro complexo plurium scientiarum, ut scientiam sumit Aristoteles. *1. Met. cap. 1.* per ea, quæ *n. 10. §. præced.* diximus, vel potius excellentia in Jurisprudentia, quam in Professoribus, de quibus ibi sermo est, Ulpianus præsumit, sapientia dicitur, prout etiam Aristoteles *Lib. 6. Ethic. cap. 7.* dixit, sapientiam in artibus illis attribui, qui absolutissimi sunt.

35 *Jurisprudentia est idem omnino habitus cum prudentia.*

Assertio III. Est tamen Jurisprudentia non modò propriè dicta prudentia, sed idem omnino habitus cum prudentia. Assertio hæc, quæ non paucis nova videbitur, hoc ferè discursu conficitur. Prudentia definitur ab Aristotele *Lib. 6. Ethic. c. 5.* habitus vera cum ratione practicus, id est activus, circa ea, quæ bona & mala sunt hominis, & quidem, ut ibidem monet, non circa ea duntaxat, quæ ex parte tantum bona, atque utilia sunt, sed quæ ad benè vivendum in universum conducunt, ut adeò nullatenus aberrant, qui prudentiæ hanc definitionem adornant: Prudentia est habitus ex principiis certis directivus operationum moralium hominis conducentium ad ultimum finem, seu beatitudinem: Per actus autem morales intelliguntur actus voluntarii & liberi, qui aliquo modo ad finem ultimum referuntur, hoc est ad illum ducunt, si boni & honesti, vel ab eo abducunt, si mali & inhonesti fuerint, vel si indifferentes in individuo possibiles sint, cum tanquam non prohibentem respiciunt; est namque prudentia illa virtus intellectualis, vi cujus in quovis occurrente negotio novimus, quid bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe, atque adeò quid amplectendum, quid fugiendum, ut finem ultimum seu beatitudinem consequamur. Neque ex parte tantum actiones, quas dirigit, honestas esse cupit, sed ex integro, ut habet recepta illa gnome: *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Nunquam enim probabit prudentia temperantiam ex avaritia, charitatem ex vana gloria, aut alio fine inhonesto exercitam. Nomen jam muta, & genuinum Jurisprudentiæ habebis ectypon; siquidem hæc ipsa est habitus ille directivus operationum moralium conducentium ad ultimum finem, hac una Magistra discimus, quid præceptum, quid prohibitum aut permissum, adeoque quid honestum, quid inhonestum sit, hæc actionibus omnibus, quas moderatur, quasi inculcata dictatrix certos præfigit limites, quos ultracitraque nequit consistere rectum, illasque ex integro justas exigit; neque enim suos inter alumnos numerabit Juris Professore, Judicem aut Advocatum, qui, dum Juri dicundo aut interpretando insudant, contempto illo, quem intendit fine, se ipsos aut sordidum duntaxat lucrum quærunt; quia dum Legi fortè humanæ venerabundi assurgunt, naturalem

ralem & divinam sacrilego conculcant pede, sicque cum Tantalò auram duntaxat & inane Jcti nomen, non Jurisprudentiam captabunt: Duo igitur nomina prudentia & Jurisprudentia eundem denotant habitum, quin & synonyma sunt, nec aliter nisi syncope differunt; sine Legibus enim nec umbram virtutis habebit prudentia, nec actiones, quas dirigit, bonas & honestas, id est Legibus conformes reddet.

Confirmatur assertio I. Si prudentia & Jurisprudentia idem habent 36 objectum attributionis, idem etiam sunt habitus; habitus enim non distinguuntur, nisi etiam objecta attributionis distinguantur, ut ab inductione patescit; atqui prudentia & Jurisprudentia eundem habent finem, idem objectum attributionis; utraque enim intendit actiones morales Legibus conformes: ergò. Scio equidem, quid nihil respondendo opponant aliqui, dicunt, prudentiam intendere actiones honestas, quæ tales, Jurisprudentiam verò justas, quæ tales. Sed quis non videt, præter inanem verborum lusum hinc nihil contineri, cum actio justa quæ talis, & honesta quæ talis, aliud non sit, quàm actio moralis, quatenus ad Legum amussim exacta est, quæ jam bona, jam honesta, jam justa appellatur, ut *L. b. cit. c. 12.* jam pridem edixit Aristoteles, dum ait: Prudentia circa ea versatur, quæ justa & honesta, vel bona hominis sunt.

Confirmatur II. Si prudentia & Jurisprudentia iisdem principiis ad 37 eundem tendunt finem, eandem utraque difficultatem habebit, eandemque honestatem obtinebit; sed utraque ad eundem tendit finem, nempe ad actionem Legibus conformem, & quidem ex iisdem principiis; neque enim solius prudentiæ, sed etiam Jurisprudentiæ præcepta sunt: *Honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere*, ut loquitur Imperator §. 3. *J. de J. & J.* igitur eandem utraque difficultatem superare debet, & quod inde consequens est, eandem obtinebit honestatem; habitus enim virtuosus non distinguuntur, nisi diversam difficultatem superandam, diversamque ex hoc ipso resultantem honestatem habeant, ut recepta inter Theologos & Philosophos opinio habet. Neque Jurisprudentia convenit tantum cum prudentia in principiis illis universalibus à synteresi mutuatis, sed etiam in particularibus, ac circumstantiis individuantiis applicatis; ubi enim didicerit, omnem illam actionem, quæ Legibus divinis & humanis conformis est, justam & honestam esse, quia honestum & justum est obedire superiori legitime imperanti, mox utraque, ubi actus instat, vel contractus urget, inferet, sed actio, quæ hinc & nunc ponenda, pactio, quam meditor, Legibus his conformis est; igitur justa & honesta erit.

Nimium quantum autem falleris, si putes, Legislatoris consilia in- 38 tra sphaeram prudentiæ, non autem Jurisprudentiæ esse; cum enim omne consilium Legem permittentem, & vicissim Lex permittens consilium post se trahat; quia dum Legislator illud, quod ex oppositis melius absque præcepto suadet, alterum non prohibendo permittit, impossibile omnino videtur, ut Jurisprudentia proponendo Legem permittentem, consilium suadendo non suggerat, ut vel sic actionem non negative solum, sed etiam positive honestam & justam obtineat; hæc quippe, utpote melior præ altera satisfacit justitiæ legali, quæ, ut videbimus, præcipuum Jurisprudentiæ objectum est. Et verò etiam consilia ad Jurisprudentiam pertinere communis & certa non Catholicorum tantum, sed etiam sapientiorum A catholicorum opinio habet, dum docent, coelibatum ac castæ vitæ integritatem hodie quoad singulos de jure naturali & divino consilii, non præcepti esse. Videatur Puffendorffius *de J. N. & G.*

Lib. 6. cap. 1. §. 7. ubi plures politicas pro opinione hac rationes deducit.

39 Confirmatur III. non solum prudentia, sed etiam Jurisprudentia voluntatem bene affectam reddit ad actiones Legibus conformes; adeoque virtuosas, honestas & justas, & quidem per easdem functiones median- tibus iisdem habitibus elicitas: igitur nulla omnino inter utramque diffe- rentia adstrui potest. Antecedens probatur. Inter functiones prudentiæ, quibus voluntatem rectè disponat, eminent, *consultatio, judicium, & Im- perium*, ut nemo negaverit, his eliciendis prudentiæ serviunt *Eubulia, Si- nefis & Gnome*. Aristoteles *Lib. 6. Ethic. C. 9. 10. & 11.* *Eubulia* est habi- tus, quo de mediis ad finem seu actionem Legibus conformem ritè con- sultatur, ac quibus commodis, quibusve incommodis substent, disqui- ritur. *Sinesis* est habitus, quo de mediis in consultationem deductis se- cundum communia principia practica jus naturæ & Leges positivas re- ctum judicium ferimus, inhærendo verbis Legis. *Gnome* denique est ha- bitus, quo neglectis Legis saltem humanæ verbis ex altiore principio, ac mente Legislatoris secundum æquum & bonum judicium fertur. Eo ni- mirum Legislatores humani laborant fato, ut casus omnes, qui quoti- diè emergunt, nec intellectu, multò minùs verborum ambitu complecti possint. Hinc æquitate opus est, qua suppleatur, quod Legi deest, ut id decernatur, quod ipse Legislator, si præsens foret, probaturus esset. sic v. g. Lex jubet, ne Civis Romanus muros transcendat. Huic Legi pacis tempore obtemperandum esse monet *Sinesis*: At ubi bellum ingruit, ubi hostilis Legio moenibus imminet, *Gnome* judicat; hostis repellendi gratia muros transcendendi posse; ne quod urbi conservandæ constitutum in ejus excidium convertatur. Habitui Gnomes, quæ intellectum perficit, ex parte voluntatis respondet *Epikheja*, de qua infra. Hos ipsos autem habi- tus, ipsissimas has functiones Jurisprudentiæ ex esse proprias esse, ac præ reliqua Reginæ huic famulantium turba primatum tenere, inficiari non po- test, qui vel semel in interiora ejus penetralia admissus, tanquam dome- sticus honoratiora stipendia ambire potuit. Quid enim aliud loquuntur consultationes ibidem continuæ, quid relationes olim antè *Nov. 125. C. 1.* frequentissimæ, transmissiones actorum hodie creberrimæ, quam continuum & exactum in Jurisprudentiæ sacrariis *Eubuliæ* ministerium? quid aliud Legislatores Augustissimi indicare voluerunt, dum *L. 8. C. de Jud.* rescripsere: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti juris rationem.* Quam Legis interpretationem non ad *Sinesin* duntaxat, sed non rarò etiam ad *Gnomen* pertinere, ne fortè inhærendo verborum cortici auctoritate juris perniciosè erretur. *L. 11. §. 3. ff. de VO.* summumque jus summa fiat injuria; quod tempore Ciceronis jam trito fermone in proverbium abierat *Lib. 1. de off.* igitur indubitatum videtur, Jurisprudentiam per easdem functiones, ac mediantibus iisdem habitibus, adeoque eodem omnino modo, quo prudentia, voluntatem afficere, & ad virtutes, bonasque ac justas actiones disponere, sicque nullam pru- dentiam inter & Jurisprudentiam distinctionem & differentiam inveniri.

40 Dices: Juxta Aristotelem *Lib. 6. Ethic. Cap. 5. in fine.* prudentia non amittitur, nec diminuitur per oblivionem, sed tantum malè & inhonestè agendo; Jurisprudentia verò amittitur vel diminuitur per oblivionem, non verò malè agendo; neque enim Jurisprudens dici potest, qui ex oblivione etiam invincibili in leges impingit, quamvis imprudentiæ argui nulla ratione possit: contra verò haud dubiè imprudens est, qui dum leges omnes, earum vim ac applicationem perspectam habet, eas contem-
nendo

mnendo transfilit; licet hoc non obstante jurisprudens sit & maneat. Alio igitur modo jurisprudentia intellectum & voluntatem afficit, alio prudentia; Hæc enim, utpote connexa cum perfectione voluntatis cum virtutibus moralibus crescit & deficit, illa à virtutibus voluntatis nec augmentum nec decrementum capit, solumque intellectum jam plus, jam minus, in quantum nimirum oblivionem aut ignorantiam excludit, perficit.

Respondeo Aristotelem nobis neutiquam contradicere; solum enim *L. cit.* asserit, aliquam prudentiam cum oblivione unius vel alterius principii practici stare posse; nimirum prudentiam partialem, non totalem; cum utique prudentior sit, qui omnia prudentiæ principia vivaci tenet memoria, quam qui unius aut alterius turbatis speciebus reminisci non potest; aliàs etiam, qui omnium oblitus esset, verè prudens dici deberet, quod evidenter nec minus fallit, quam si quis contenderet, prudentiam stare etiam cum ignorantia omnium omnino principiorum prudentiæ, sicque bardissimum & rudissimum menalcham simul prudentissimum esse posse; hoc enim verò aliud non foret, quam lucem cum tenebris sociare, stupidamque ignorantiam unum in pristinum limatissima cum prudentia compingere. Neque enim dicit Aristoteles, per oblivionem non minui prudentiam, sed non amitti, nimirum totaliter, si nempe oblivio non sit totalis omnium principiorum, verbo, qui unius tantum vel alterius principii oblitus est, prudens dici potest, non tamen ex toto; is verò, qui militari tantum prudentia pollet, non verò œconomica & civili Ethica scilicet & politica, prudens est, & dicitur, non simpliciter & absolute, sed tantum secundum quid. Quod ipsum in Jurisprudentia evenit, nisi enim in Jcto Jurisprudentia naturalis, divina & humana triambum agant, sed una tantum aut altera sine tertia actiones ejus moderetur, imò si ex parte tantum aliqua ex illis deficiat v. g. humana principiis juris feudalis aut criminalis destituatur, ex toto Jurisprudens non erit, sed tantum ex parte potiore, quamvis recepto jam usu Jurisprudens sine addito dicatur; nec immeritò, cum absolute & simpliciter Jurisprudens sit, jurèque longè majore talis salutetur, quam illi, qui juris tantum particularis non universalis, privati duntaxat non publici scientiam profitentur, utpote, qui tantum secundum quid Jurisprudentes sunt, nec simpliciter tales appellari merentur: Licet id ambitiosa hac nostra ætate jam pridem obtinuerint. Ex quo planissimè conficitur, intellectum eandem omninò à Jurisprudentia & prudentia perfectionem accipere.

Ex eadem autem perfectione intellectus eadem sequatur affectio voluntatis, necesse est; ubi enim idem lumen, eadem est illustratio, ubi eadem consultatio, judicium & imperium, eadem voluntatis est directio: & verò, ideò juxta hanc instantiam prudentia diminuitur & amittitur malè agendo; quia actionibus inhonestis lumen prudentiæ obfuscat, voluntas in tenebris errans in transversum agitur, principia prudentiæ practica, jus naturæ & positivum convelluntur, habitusque vitiosi in anima radicanter, in id unum intenti, ut Reginam virtutum prudentiam toto cum comitatu regno hoc suo exturbent penitus. Quis autem, nisi intellectu careat, inficiari poterit, idem fatum ex injustis actionibus jurisprudentiæ imminere? intellectu enim vitiis excoecato, voluntas duce destituta per devia errabit & invia, impulsuque pravorum habituum lapsu graviore in profundum ruet: non illam Leges sacratissimæ toties contemptæ, & conculcatæ in orbitam reducent, sed dominantibus jamiam sceleribus, solum vertere cogetur Jurisprudentia, remanente

nente duntaxat perfida famula Legum scientia. Sicut enim proscripta per actiones inhonestas prudentia in intellectu restat sterilis principiorum practicum notitia, ita exturbata eisdem per hostes Jurisprudentia, sola Legum notitia aut scientia remanebit, atque ut nonnunquam fit, cum hostibus Jurisprudentiæ sacrilegum panget fædus. Unde sicut male agendo prudentia, ita & Jurisprudentia perditur, & sicut pereunte prudentia, sic destructa per actiones injustas Jurisprudentia Legum notitia remanet: Aliud enim est Jurisprudentiâ, aliud Jurisperitia & scientia; nam licet omnis jurisprudens etiam jurisperitus sit, non tamen omnis jurisperitus etiam Jurisprudens est; siquidem jurisprudentia morales, quas dirigat, virtutes exigit, jurisperitia verò ad virtutes has aut vitia indifferens est, quin & virtutibus moralibus destituta, ut ait Apostolus, inflat & extollit, sicque in deteriore propendet partem. Ut adeo ex præcedente instantia nil profus timendum sit assertioni nostræ.

42 Sed novum fortè & novissimum aliquibus videbitur, Jurisprudentiam dividi in Ethicam, Politicam, militarem & œconomicam, quod tamen necessariò dicendum, si Jurisprudentia idem cum prudentia est habitus; notissima enim est, & ubique recepta hæc prudentiæ divisio: ego verò hoc ipsum non novum, sed antiquissimum ac certissimum esse censeo. Nunquid enim illa prudentiæ species Ethica dicitur, alii monasticam appellant, quæ vitam hominis privati juxta Leges ad statum hunc facientes dirigit, quæ verò Leges, bonum publicum spectantes, applicat, semper politica dicta fuit? Nunquid militari prudentia dux ille præstare dicitur, qui fortiter pugnando pro bono patriæ, se suosque ex ductu juris naturæ consecrat, curatque, ne inter arma Leges fileant, illæ præcipue, quas ipsa natura dictat, aut Gentium consensus constituit: Prudentiam certè Oeconomicam non habet Paterfamilias, nisi ad cultus divini & concordia Leges subditos suos instituat, rei que familiari juxta præscriptum Justitiæ consulat? quæ omnia Jurisprudentiam, diversasque ejus species vivis depingunt coloribus. Certè si novum non est, quod prudentia dividatur in architectonicam, quæ Reipublicæ construendæ, & in Rectoriam, quæ administrationi Reipublicæ jam constitutæ præsidet; si antiquissimum est, quod prudentia Rectoria in Legislariam, Consultariam, & Judicariam diffuat, sicque in his speciebus cum Jurisprudentia conveniat, ut omnes fateri debent, novum non erit, quod etiam in præcedentibus concordet, ac Jurisprudentia quoque in Ethicam, politicam, militarem & œconomicam dividatur, ne nova & inaudita fictione univocam prudentiæ divisionem analogam faciamus, partesque ejus subjectivas mira profus metamorphosi in potestativas transformemus. Eadem autem membra dividantur, idem divisum, eadem partes idem conficiunt totum, & consequenter, si prudentia & Jurisprudentia eisdem patiuntur divisiones, idem omnino habitus erunt, quod hucusque pluribus contendimus.

43 *Jurisprudentia per se non est scientia propriè dicta.*

Assertio IV. Jurisprudentia per se, atque ex intentione propria non est scientia propriè dicta, potest tamen dici scientia per accidens, atque ex intentione Jurisprudentum. Etiam hæc assertio contra torrentem luctatur, fuit tamen ex præcedente. Probatur igitur, pars I. scientia propriè dicta est habitus demonstrativus, Aristoteles *Lib. 6. C. 3. Ethic.* vel saltem est habitus indefectibiliter disponens intellectum ad eliciendas cognitiones certas & evidentes rei per causam, ut idem Philosophus loquitur *Lib. 1. poster. Cap. 2. Lib. 2. metaph. Cap. 1.* atqui Jurisprudentia per se, & ex intentione propria talis habitus non est, ut vel ex nuper dictis liquere posset;

si enim Jurisprudentia est idem omninò habitus cum prudentia, non potest per se esse habitus indefectibiliter disponens ad cognitiones certas & evidentes rei per causam; nam ut actionem honestam, quæ ejus objectum est, obtineat, sufficit, ut de honestate ejus moraliter certa sit, hancque obtineat mediante Eubulia, Sinesif & Gnome, ex quibus nulla est scientia, ut pluribus probat Aristoteles *Lib. 6. cit. Cap. 9. 10. & 11.* Quis enim inficiabitur, honestam esse illam actionem, quæ moraliter certò Legibus naturæ conformis est? imò etiamsi habitus distinctus à prudentia foret; his ipsis tamen habitibus per se indigeret, ad finem suum seu actionem justam consequendam, prout ostendimus *n. 39.* sicque per se & ex propria intentione scientia non esset; cum de consultabilibus per se scientia non sit. Aristoteles *Lib. 6. cit. cap. 5.* nec consultemus de iis, quæ scimus idem *Lib. cit. cap. 9.* Igitur Jurisprudentia per se & ex intentione propria non est propriè dicta scientia.

Confirmatur. Jurisprudentia per se & ex intentione propria non procedit demonstrativè circa suum objectum, justamque actionem obtinere potest sine omni cognitione evidente de ejus bonitate & justitia: ergo per se scientia propriè dicta non est; de ratione namque talis scientiæ est, ut bonitatem objecti sui demonstret, aut saltem evidenter cognoscat, ut vel Logici nôrunt. Antecedens probatur. Si judex cum probabiliori opinione, quæ docet possessorem bonæ fidei, si rem possideat titulo singulari, lucrari fructus virtualiter tantum exstantes, sentiat, propter textus *§. 35. J. de R. D. L. 4. §. 19. ff. de usucap. L. 4. §. 2. ff. fin. regund. &c.* illique tali casu, uti tenetur, hos fructus adjudicet, justam omnino sententiam pronuntiat, licet de justitia sententiæ nullam habeat evidentiæ, sed moralem duntaxat certitudinem ex hoc vel simili discursu resultantem: *Judex, ut justè judicet, tenetur judicare juxta merita causæ, adeoque pro eo, pro quo, causa ritè ponderata, ejus judicio stat major probabilitas; sed re ritè perpensa, major probabilitas meo judicio stat pro possessore bonæ fidei ex titulo particulari: ergò, ut justè judicem, illi adjudicandi sunt hi fructus.* Hic inquam discursus ad summum parit moralem certitudinem; nam ut omittam majorem, minor certitudinem majorem habere nequit: Si enim judici evidens esse non potest, quæ & quanta diligentia in ponderandis utriusque partis rationibus adhibenda sit, qua ratione illi evidens erit, quòd rem hanc debita diligentia perpenderit, quòdque in suo hoc judicio non fallatur, & tamen certum omnino est, nec negari potest, si Judex in discutiendis utriusque partis meritis moralem diligentiam adhibeat, ac pro illa parte sententiam proferat, pro qua merita causæ stare deprehenderit, sententiam illius justam, & consequenter Jurisprudentiæ objectum esse. Simile argumentum fieri posset in aliis etiam quæstionibus de jure controversis; imò in omnibus, ubi æquitas & intentio Legis non evidenter perspicua est, non tantum pro Judice, sed etiam pro parte litigante, aut aliàs de suo jure dubitante, utrum v. g. possessor bonæ fidei fructus virtualiter exstantes retinere possit: Igitur Jurisprudentia per se & ex intentione propria non procedit demonstrativè circa suum objectum, illudque obtinere potest sine omni cognitione evidente, & quod inde consequens est, per se non est scientia propriè dicta, sed si aliquando, aut etiam sæpius, justitiam actionis evidentem, aut demonstratam habeat, id per accidens contingit, non verò ex intentione Jurisprudentiæ, utpote quæ sine actu scientifico finem suum obtinere potest.

Promovetur hoc argumentum. Vel enim Judex adjudicando possessori bonæ fidei fructus virtualiter exstantes secutus est propriam opinionem, 45

*

F 2

nionem,

nionem, prout tenetur, si fatis doctus, ac in jure versatus sit. *per L. 1. §. 6. C. de J. V. E. & L. 13. C. de sent. & interlocut.* in quarum priore Justinianus ita pronuntiat: *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est judicatote; cum possit unius etiam deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare.* Vel sua hac in sententia secutus est communioem aliorum Jctorum, vel etiam assessorum suorum opinionem, prout denuo teneretur, si suæ sibi debilitatis conscius, nec in jure fatis versatus esset; tali namque casu, ut consideranti patebit, non solum litigantibus, sed Reipublicæ etiam optabilius foret, si aliorum & doctiorum, quam suam pronuntiaret sententiam: Quidquid dicatur, per se & ex intentione Jurisprudentiæ non datur evidentia de justitia sententiæ; et si enim immotum sit Juris principium, toties Judicis sententiam justam esse, quoties pro eo lata est, pro quo maturo judicis prudentis, & causam in juris trutina accuratè librantis judicio potiora stant causæ merita, justitia tamen sententiæ tamdiu ipsi aut etiam aliis evidens esse non potest, quamdiu evidens non est, causam hanc debita cum exactione fuisse discussam; principium enim illud conditionatum est, si ritè omnia fuerint ponderata; adeoque conditione deficiente & ipsum deficit: qua ratione autem Jurisperito semper evidens esse possit, se ritè omnia ponderasse, ego quidem hucusque penetrare non potui, cum non videam, unde evidens illi semper esse possit, qui gradus accurationis hujusmodi in examine attingendus, & vel maximè quòd illum attigerit; siquidem diligentia adhibenda moralis tantum est, & hoc ipso non demonstrabilis, nec eadem semper requiritur, sed jam major, jam minor. Hoc tamen non obstante, si pensatis æqua lance omnibus, eam Judex adhibuerit diligentiam, quam alii viri prudentes ac timorati, verbò, viri boni, ut judices recti tenaces in jure appellantur *L. 137. §. 2. ff. de V. S. L. 18. ff. Jud. solv. L. 17. §. 5. ff. de injur.* Similibus in negotiis sine scrupulo adhibere solent, haud dubiè justam proferet sententiam, quæ ad objectum Jurisprudentiæ pertinebit, & quidem simpliciter talis, si opinio, quam secutus est, vera fuerit, aut saltem secundum quid talis, si forè falsa fuisset; hoc enim casu, etsi difformis esset sententia Legi directæ & antecedenti, Legi tamen reflexæ & consequenti concordaret, sicque jure merito actio justa diceretur.

- 46 Neque hæc Legis divisio novi aliquid continet, utpote quæ de jure naturali & divino in scholis recepta, de Lege verò positiva etiam humana ex Legibus nuper citatis manifesta est. Ex hac autem distinctione perspicuum fit, qua ratione conclusio hujus discursus: *Illam sententiam Judicis est justa, quæ lata est pro eo, quem Judex, pensatis omnibus, irreprehensibiliter & firmiter judicat, habere majora causæ merita; sed ego hic & nunc ita judico de possessore bonæ fidei: ergo sententia pro eo lata est justa.* Qua ratione inquam conclusio hæc fit actus elicitus, ipsa verò sententia actus imperatus Jurisprudentiæ; si enim Judex ritè omnia ponderavit, ac opinio, quam sequitur, vera sit, conclusio hæc erit actus Jurisprudentiæ simpliciter talis, influetque Jurisprudencia in totum actum; si verò Judex in discutienda hac causa non adhibuisset debitam diligentiam, aut opinio ejus directæ ponatur esse falsa, erit actus Jurisprudentiæ, elicitus secundum quid, procedens saltem partialiter, in quantum verus est, à Jurisprudencia, modò Judex irreprehensibiliter judicet, se omnia ritè pensasse, ac verioem esse eam, quam tenet opinionem: Si autem uterque hic actus elicitus ad Jurisprudenciam suo modo pertinet, etiam sententia seu actus ab utroque imperatus ad objectum Jurisprudentiæ pertinebit, imperatus quidem

quidem à priori simpliciter, cum ad omnem Legum amussim exactus sit; à posteriore vero imperatus saltem secundum quid; nam etsi ex defectu sufficientis luminis à Legge antecedente & directa deflectat, Legi tamen reflexæ & consequenti conformis est, vel ideò inter actiones justas numerandus, quòd, Legi ex ejus opinione probabilius existenti, concordet; Lex verò invincibiliter ignorata non obliget.

Ex his jam ita concludo: Si Judex sequendo opinionem, quam bona fide probabiliorem judicat, justam pronuntiat sententiam, Jurisprudentia per se justam actionem obtinere poterit, quin ejus bonitatem evidenter cognoscat; adeoque per se scientia propriè dicta non erit. Si enim Judici non evidens est, nec esse potest, quòd causam hanc ritè discussisset, nec evidens ipsi erit, hanc ipsius sententiam justam seu Legi conformem esse; neque enim evidentiam habere posset de conformitate cum Legge antecedente & directa; nam quæstionè illa etiam accuratissimè librata ad summum probabilius est, Leges positivas possessori bonæ fidei fructus virtualiter exstantes irrevocabiliter adjudicare. Multò minùs igitur evidens esse poterit de conformitate hac, si evidentia de sufficiente accuratatione examinis deficiat; neque etiam evidenter certus esse posset de conformitate sententiæ cum Legge reflexa & consequente: quia si evidens non est, debitam in causæ disquisitione adhibitam fuisse diligentiam, evidens esse non potest, existere Legem reflexam & consequentem; hæc quippe Lex ignorantiam invincibilem, adeoque morali etiam adhibita diligentia non vincendam, supponit; ex terminis autem evidens est, conformitatem actus cum Legge evidenter cognosci non posse, nisi existentia Legis evidenter cognita sit. Profectò, si sententiam præcedens discussio justa ac Jurisprudentiæ objectum esse potest, modò moraliter certum sit, eam juxta Legis præscriptum factam esse, ad hoc, ut sententia subsequens, aut alia quæcunque actio justa, ac juris objectum sit, major certitudo per se requiri non potest.

Frustra verò es, si dicas, ex indubitatis synterescos principiis evidens esse, actionem illam justam & Jurisprudentiæ objectum esse, quam operans bona fide Legi, si non antecedenti, saltem consequenti conformem judicat: Si enim talis evidentia de justitia actionis haberi posset, tunc etiam haberi deberet evidentia de sufficientia diligentia adhibitæ; hæc autem, ut ex dictis liquet, plerumque vix, ac ne vix quidem haberi potest. Si replices, Judicem in casu nostro evidentiam hanc habere posse ex hoc vel simili argumento: *Quisquis juxta lumen rationis à Deo acceptum bona fide judicat, sufficientem diligentiam à se fuisse adhibitam, evidenter certus est de sufficientia suæ diligentia; sed ego hic & nunc juxta lumen rationis à Deo acceptum bona fide judico, sufficientem à me fuisse adhibitam diligentiam: ergo evidenter certus sum de sufficientia meæ diligentia.* Bonam fidem à te ipso requiro, petoque, unde Judici evidens sit, se bona fide sine omni partium studio; aut aliqua sinistra inclinatione vel passione &c. causam hanc sufficienter discussisse; sine hac enim evidentia nunquam de justitia actionis evidens esse poterit. Si duplices, dicásque: modò Judex moraliter certò judicet, se bona fide ritè omnia pensasse, evidens jam esse, quòd sufficientem adhibuerit diligentiam, non refragabor equidem, aliàs enim homini cæco admodum & fragili pessimè consultum foret. Id tamen ulterius quæro: num reflexa hæc evidentia indispensabiliter necessaria sit operanti ad hoc, ut actionem justam, Legique conformem ponat? Si affirmas, quid igitur de sententia nostri Judicis statues? Si illi reflexa hæc evidentia non occurrat, aut si illam sufficienter non penetret, an propterea

*

G

sen-

sententiam ejus injustam, ac Legi difformem dices? hoc sane si feceris, vel primis etiam Themidis alumnis, quin & ipsi Themidi famosam syndicatûs actionem intentabis; quotusquisque enim Judicum, ne dicam, hominum est; qui dum Lege urgente actionem à Lege præscriptam ponunt, evidentia hujus meminerunt, aut si meminerint, ut tali assentiuntur; experientia certè etiam in viris doctis, & prudentibus necessitatem hujus reflexionis evidentis nullatenus probat, utpote quibus moralis certitudo de justitia actionis sufficit. Si verò actio vel sententia justa haberi potest, sine evidenti hac reflexione, ut propria ab experientia discere poteris, mecum fateberis, Jurisprudentiam per se, & ex intentione propria scientiam propriè dictam non esse; quia non versatur circa objectum suum demonstrativè, potèstque objectum seu actionem justam habere sine omni cognitione evidente de ejus bonitate & justitia, quod tamen scientia propriè dicta non proprium modò, sed essentialè omnino est. Ex hoc ipso autem

49 Probatur II. pars Assertionis nostræ, quòd Jurisprudentia saltem per accidens dici possit scientia propriè dicta, seu ex intentione Jurisprudentum. Et I. quidem ex ratione mox indicata: Etiam si enim Jurisprudentia per se non exigat evidentiam in operante de bonitate & justitia sui objecti, sed sufficiat illi, si moraliter certò actionem Legi conformem obtineat, quotiescunque tamen actio aliqua moraliter certò justa est, potest haberi evidentia de ejus justitia, cum evidens sit, actionem, de cujus conformitate cum Lege moralis certitudo sine omni actuali formidine habetur, justam esse. Certè nisi quis velit, Deum pessimè prospexisse generi humano, ac perniciosam adeò cœcitate nos miseros percussisse, fateri cogetur, id evidenter nobis licitum, honestum & justum esse, quòd adhibita morali diligentia ac pensatis omnibus circumstantiis censemus licitum honestum & justum; pertinebat enim ad Legislatores, & vel maximè Dei bonitatem, hominem redigere nolle in eas angustias, ut quamvis pro viribus conetur id agere, quòd ipsis placet, ac Legibus congruit, effugere tamen nequeat formidinem ac periculum, ne defacto fortasse in Leges impegerit, sicque indignationis & poenæ reus sit: ergò licet Jurisprudentia per se & ex intentione propria scientificè non versetur circa suum objectum, adeoque scientia propriè dicta non sit, poterit tamen esse & dici talis per accidens, & ex intentione Jurisprudentum, si nimirum reflexa hac evidentia uti velint; hac enim ratione ubicunque Jurisprudentia moraliter certa foret de bonitate aut justitia actionis. (exigit autem hanc certitudinem in omni actione, quæ ad objectum ejus pertinet) Habebunt illi evidentiam saltem reflexam de justitia harum actionum, sicque scientificè versabuntur circa objectum jurisprudentiæ. Ne tamen meris speculationibus tecum agere videar.

50 Probatur II. argumento minùs spinoso & magis juridico. Jurisprudentia iis instructa est principiis, ut pleræque, aut saltem potiores ipsius conclusiones scientificè ex iis deduci possint: ergò etiam si per se non sit scientia propriè dicta, poterit tamen talis saltem simpliciter dici per accidens, atque ex intentione Jurisprudentum, non solum ob evidentiam illam universalem reflexam, sed etiam propter actus scientificos directos, quibus actionum talium justitia demonstratur; opinio hæc difficultatem aliam habere vix potest, nisi quòd non omnium actionum, quæ objectum Jurisprudentiæ constituunt, justitia ita directè demonstrari possit; ex hoc tamen tantum sequitur, Jurisprudentiam per se atque ex toto non esse scientiam propriè dictam, non verò quòd non possit dici talis saltem simplici-

plieiter, per accidens, si ex ejusdem principiis pleræque vel saltem potiores ejus conclusiones scientificè deduci, ac præcipuarum, quas intendit, actionum justitia demonstrari possit; neque enim ad hoc, ut aliquis habitus simpliciter scientificus dici possit, juxta satis communem aliorum requiritur, ut omnes omnino ipsius conclusiones ad demonstrationis lineam reduci possint, alias pleræque disciplinæ, quæ non paucis Doctorum prima inter scientias subsellia obtinere videntur, harum è republica penitus proscribendæ forent.

Probatum igitur antecedens adducendo principia Jurisprudentiæ non solum communia sed & propria, & propria tam universalis, quam particularia. Communia suggerit textus §. 3. *J. de J. & J.* ubi recensentur præcepta supra allegata: *Honestè vivere, neminem ledere, suum cuique tribuere.* Communia hæc principia appello, quia non Jurisprudentiæ duntaxat, sed & plerisque habitibus moralibus ancillantur; innumeras autem conclusiones in Jurisprudentia ex his principiis scientificè resolvi posse, adeo manifestum est, ut in jure peregrinus esse debeat, qui hoc in dubium vocare audeat. Certè qui per triduum inter Jurisconsultos versatus est, haud difficulter ex primo illo juris præcepto has pluresque alias deducet conclusiones: *Id agendum homini, quod honestatis laudem ipsi conciliat; sed cultus Dei, honor parentum, obedientia superioribus præstita honestatis laudem ipsi conciliat; ergo Deus ipsi colendus, parentes honorandi, obedientia superioribus exhibenda est.* Ex secundo & tertio verò promptissimè ita concludet: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: atqui non vis, ut ab alio ledaris in bonis corporis, fortunæ ac fame, vel etiam, ut jus tuum tibi non tribuatur: igitur nec alteri tale quid faciendum.* Major utriusque hujus discursus continet principia per se nota, ac lumine naturæ ita perspicua, ut vel nolentes, modò rationis compotes sint, ad assensum rapiant; utraque verò minor cuilibet vel parùm prudenti propria ab experientia est evidens, sicque conclusio fallere non potest.

Principium proprium & universale jurisprudentiæ stat in sequenti axiomate ex præcedentibus deducto: *Legi justæ obtemperandum est subdito, dum obligatione ejus solutus non est:* Hoc enim principium totam excurrit Jurisprudentiam, non humanam duntaxat, sed naturalem etiam & divinam; ita enim ex hac majori alma hæc trias arguit; & prior quidem Jurisprudentia naturalis: *Si obtemperandum est subdito legi justæ, etiam legi naturali parendum tibi erit, si homo, si animal rationale es, si finem hominis spectes, si beatitudinem ipsi præfixam appetas; siquidem lex hæc Auctoris naturæ justissimi justissimum continet imperium, nec quidquam tibi præcipit aut prohibet, nisi quod naturam rationalem decet aut dedecet.* Jurisprudentia verò divina ita subsumit: *Atqui lex divina justissima est; est enim jussus Legislatoris divini, infinitè perfecti, & fallere nescii, cui summum & perfectissimum in res creatas omnes dominium competit, domini est enim terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, qui habitant in eo Ps. 73. 1. Ipse vitæ mortisque potestatem habet Sap. 16. v. 13. ipse solus occidit & vivere facit Deut. 32. v. 39. igitur legi huic ab omni homine, utpote servo Dei plenissimo jure subiecto, parendum est.* Principibus his suis pro modulo suo etiam accinit Jurisprudentia humana, & quidem Jurisprudentia Ecclesiastica hunc in modum discursum conficit: *Set Lex Ecclesiastica lata pro tota Ecclesia in materia spirituali aut Ecclesiastica à Romano Pontifice summo & infallibili Christi in terris Vicario justa est, modò Pontifex limites potestatis sibi à Christo concessæ non excedat: ergo lex hæc servanda ab omnibus, qui inter fideles ac oves Christi esse cupiunt, etiamsi Regnis & Imperiis summa cum potestate in Politicis præsideant; princeps enim bo-*

mus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Politica denique Jurisprudentia hanc pro se conclusionem seliget: Sed lex civitatis lata à summo Principe, lata ab Imperatore cum statuum consensu in materia, ipsis subjecta, justa est, quin & in dubio talis præsumenda. ergo legi huic assurgendam ab omnibus, qui subditi, qui cives Imperii sunt. Toto igitur aberrat coelo, qui extra hoc principium alium hic sibi fingit polum; hoc enim in Cardine, tota quanta est, secura vertitur Jurisprudentia, hoc uno in axe suo in quadrijugo gloriosè triumphat.

53 Si magis specificum paradigma petis, quocunque te vertes, innumera habebis obvia. Nunquid enim cuilibet rationis capaci homini per se notum est, Deo cultum, parentibus honorem, superioribus obedientiam exhibendam esse, abstinendum verò à furto, adulterio & mendacio: evidentiam tamen hujus causa alia non est, nisi quia Lex naturæ, æquissima omnis honestatis regula, illa præcipit, hæc prohibet. Sic pariter ad salutem homini necessarius est Baptismus, relapsis autem poenitentia; omnibus verò, saltem in mortis articulo Eucharistia: Contra verò illicita est polygamia, libellus repudii, ac odium inimicorum; priora enim Lex divina, prima illa summa & infallibilis actionum nostrarum norma, præcipiendo necessaria, posteriora, abolita Lege permittente, prohibendo illicita fecit. Quòd si ad humanam descendas Jurisprudentiam, petasque, cur sacræ Christianis feriæ, inflictæ censuræ ac præcepta jejuniæ sint observanda? Cur in Laicis jurisdictio in Clericos, in Clericis testimonium & judicium in causa sanguinis deficiat? in promptu causa est, quia Legi Ecclesiasticæ justæ, Deique ordinationi concinnatæ, à Christianis parendum, quia ita Lex statuit. Si roges, cur tanta in Judiciis solennitas, tam scrupulosa in testamentis subtilitas, tam ingeniosa in contractibus diversitas requiratur? cur infames à dignitatibus ac muneribus, hæretici non tolerati à confectioe testamenti, servi à toto jure civili repellantur? eadem redibit responsio; quia ita Lex jubet; quia legitima potestas illa exigit, hos repellit. Inquire, postula centies & millies, cur hoc de jure firmum, illud invalidum? cur actio hæc honesta, illa inhonesta, hæc præmio, illa poena digna habeatur? eandem audies cantilenam, eandem habebis evidentiam causæ, nimirum; quia Lex justa huic actui assistit, illum reprobat, illum præcipit, hunc prohibet, illi præmium, huic poenam determinat. Sed dies & annus non sufficeret recensendis demonstrationibus, quæ vel ex hoc solo principio deduci possunt; cum nulla in Jure evidentia haberi possit, nisi ad hoc lumen recurratur.

54 Principia siquidem particularia, ut ex primùm dictis perspicuum fit, in tenebris obscura jacerent, nisi ad instar stellarum à sole hoc suo lucem & evidentiam participarent. Scandant enim thronum suum vaticanum summi in terris Christi Vicarii, triplicique tiara insignes orbi Christiano edicant, concubinatum, usuram merè lucratoriam, privatam mariti de conjuge & adultero, in flagranti deprehensis, vindictam, illicita, gravique poena coercenda esse: Eadem auctoritate pronuntient, nullam sine bona fide præscriptionem valere, matrimonium consummatum, nec per professionem religiosam, nec ob quinquennalem conjugis latentis absentiam, neque propter adulterium, aut aliud quodcunque crimen quoad vinculum dissolvi posse, nunquam tamen de obligatione Canonum horum reformatiorum evidentiam habebimus, nisi ad principium illud universale respiciamus; ideò enim objecta illorum evidenter illicita, aut etiam invalida sunt, quia Lex Pontificis justa, Juris naturalis & divini interpret infallibilis, illa illicita aut invalida declarat. Purpuratum pari-

ter

riter Augusto pedethronum subeat Justinianus Legislatoꝝ sacratissimus, & unanimes cum Pontifice sententia decernat, spoliũ aut homicidium mandari non posse; quia non datur vinculum ad aliquid inhonestum: res sacras & spirituales nulliter vendi; quia humano commercio exemptæ, nec pretio temporali æstimabiles sunt: Datum ob gratiosam sententiam Judici hæredibus etiam extorquendum esse; quia turpe lucrum sapit; nemini tamen Legum harum vis ac efficacia evidens erit, nisi dicta reflexione & fundamento nitatur; hac enim solum ratione conclusiones hæc fiunt cognitiones certæ & evidentes rei per causam evidenter cognitam. Plures hujusmodi demonstrationes si cupias, tutè tibi haud difficulter quilibet in materia conficies, mecúmque ni fallor, fateberis, Jurisprudentiam per accidens saltem & ex intentione Jurisprudentum citra injuriam inter scientias collocari posse.

Jurisprudentia nulla ratione est Ars.

Affertio V. Jurisprudentia nulla ratione dici potest ars. Probat. 55
Ars genericè spectata, prout artem factivam & activam complectitur, ex mente Aristotelis & communi aliorum definitur, quòd sit habitus indefectibiliter disponens ad actus veros, quibus diriguntur actus mediatè tantum liberi; aliàs enim nulla foret ratio, quare Philosophus, ejusque sequaces prudentiam è catalogo artium expungerent, nimirum *Lib. 6. Ethic. Cap. 5. & L. 1. magnor. moral. Cap. 33. art. 1.* & alibi sæpius; atqui Jurisprudentia per actus suos elicitos non dirigit actus mediatè tantum, sed immediatè liberos, quales indubiè sunt actiones justæ ac Legibus conformes: ergo. Confirmatur. Prudentia ex recepta apud omnes sententia inter artes numerari nulla ratione potest: Igitur neque Jurisprudentia; hæc enim, ut *assert. 3.* ostensum, idem cum illa est habitus.

Quare dum Celsus *L. 1. pr. ff. de J. & J.* Jurisprudentiam artem æqui 56 & boni appellat, termino hoc in sensu latiore usus est, nec ad rigorem philosophicum respexit: uti etiam Imperator §. 1. *de J. & J.* ubi illam justitiam atque injustitiam scientiam vocat, nisi dicere velimus, Imperatorem Jctos scientificè prudentes exoptasse, quod haud dubie præsumendum, ne aliàs machinationibus sophisticis vel nolentes in transversum agantur. Nec tamen per hoc aliquid Jurisprudentiæ laudibus detractum credimus, quòd absterfis, quibus ab aliis parum cautè depicta est, fictitiis coloribus, nativam ejus formam pandamus; facies enim ejus majestate plena emendicato non eget stibio, non ars, nec per se scientia, sed prudentia est, tanto utrisque, quin & virtutibus omnibus præstantior, quantum Regina potentissima ancillis suis præstat & famulis; hac quippe ratione non virtus quædam particularis, sed universalis dux & moderatrix virtutum omnium est; sine hujus lumine virtutes reliquæ intellectuales utuntur oculatæ cæcutient, virtutes verò morales medium, quod petunt, nunquam invenient; sine hoc perpendiculo Legum notitia vel scientia non nisi ruinam exstruet, sine hoc magnete nunquam ad portum felicitatis humanæ, quo Legum conditores collimant, perveniet. Profectò si in rebus omnibus potior justitiæ æquitatisque quam stricti juris ratio habenda est, ut *L. 8. C. de Judiciis* Augustissimi Legislatores enuntiant, Jctorum etiam ex mente Jurisprudentia potius prudentes, quam artificiosos & scientificos Jctos exiget, sicque Jurisprudentia per se nec ars, nec scientia, sed prudentia, hoc est, virtutum intellectualium præstantissima erit.

Multò minùs Jurisprudentiæ encomia minuimus, si dicamus, Ul- 57 pianum, dum Jurisprudentiam *L. 1. §. 1. ff. de J. & J.* veram non simulatam philosophiam appellat, non ad hodiernam philosophiam, notasque ejus species saltem plerasque respexisse, sed ad antiquam illam, quæ inter

*

H

virtu.

virtutes ac facultates instar Reginæ se gerebat, nimirum ad Jurisprudentiam, de qua Cicero *Lib. de orat. C. 44. sive quem ista præpotens & gloriosa philosophia delectat, (dicam audaciùs) hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili & legibus continentur &c.* De hac etiam teste Gellio locutus est Plato, dum dixit: tunc demum beatas fore Respublicas, si Philosophi ad clavum sederent. videatur *Struvius exerc. 1. thes. 9* hinc fit

Definitio & divisio Jurisprudentiæ.

58 Assertio VI. Jurisprudentia universalis ratione objecti, prout species inferiùs enumerandas omnes sub se continet, rectè definitur, quòd sit virtus intellectualis practica indefectibiliter disponens ad actus veros, quibus in universum diriguntur actiones humanæ justæ. Probat. Jurisprudentia universalis Leges omnes, vel Legum omnium omnino notitiam & peritiam complectitur, sive deinde hæ fuerint juris naturæ, sive divini, sive juris humani, sed habitus, complectens omnes omnino Leges, in universum dirigit ad actiones humanas justas, id est Legibus conformes: ergo. Discursus hic totus in aprico est, quia si Jurisprudentia particularis v. g. humana, seu Leges humanas complectens, actiones humanas, in quantum illæ has attingunt, Legibus his suis conformare intendit, Jurisprudentia universalis, quæ ad omnes omnino actiones humanas se extendit (neque enim ulla actio humana datur, quæ non Legi alicui vel præcipienti vel prohibenti, vel saltem permittenti substat) in universum actiones humanas diriget, easque Legi adaptare conabitur, non distinguendo, utrum actio in bonum publicum, an verò in bonum privatum tantum, etiam ipsius operantis tendat? neque enim Jurisprudentia eas duntaxat actiones Legibus constringit, quæ bono publico conveniunt, aut repugnant, sed operantem pariter præceptis instruit, quid Deo, quid sibi, quid proximo tanquam privato debeat, quamvis non omnia, saltem immediatè, in bonum publicum redundent, prout in discursu videbimus.

59 Stante hac definitione, haud difficulter intelliges, quæ differentia Jurisprudentiam ab aliis facultatibus affinitate junctis separet; & à Theologia quidem speculativa, si illa demas, quæ ratione materiæ utrique facultati communia sunt, toto, ut ita loquar, cælo distat; hæc enim speculationibus suis sydera scandit, ipsosque etiam transcendit cælos, dum in Deo ac infinitis ejus perfectionibus contemplando suavissimè quiescit; Jurisprudentia verò non nisi practicè Deum attingit, & qui colendus, quæ Legibus, à Deo, aut ejus in terris Vicariis latis, reverentia debeatur, dilucidè commonstrat: hunc in finem labores suos omnes homini consecrat, utque actiones ejus legibus non divinis tantum, sed & humanis congruant, toto nisu allaborat. Hinc paulò vicinior est Jurisprudentiæ Theologia moralis & practica; nam & hæc versatur circa actiones humanas religiosas ac suo modo spirituales, non minùs ac Jurisprudentia Canonica; discrepat tamen etiam ab hac; quia Theologia moralis attingit actionem religiosam cum solo respectu ad Deum & beatitudinem æternam; Jurisprudentia Canonica autem insuper respicit Ecclesiam, in quantum sapit unum corpus mysticum, eorundem sacramentorum, ejusdemque fidei nexu sub uno capite colligatum, hujusque felicitatem temporalem immediatè intendit, ac mediatè primùm per actionem religiosam cultumque Dei æternam beatitudinem homini conciliare nititur. Philosophiam hodiernam quod attinet, quamvis parti ejus rationali Rhetoricæ nimirum & Logicæ multum debeat Jurisprudentia (sine his enim muta atque inculta jacebit) nec pauca ex Physica & Metaphysica, quin

ex

ex Arithmetica etiam Geometria & Astronomia mutuetur: uti dictum *n. 4. & seqq.* non minus tamen ab illa, quam Medicina, toto scilicet genere juridico differt: Aliter tamen nostris in fundamentis loquendum de Philosophia Practica, Ethica & Politica, hæ enim, ut diximus, non aliter à Jurisprudentia universali, quam membra dividenda à toto diviso, speciesque à genere differunt. vidè *n. 42.* ubi Jurisprudentiam etiam in militarem & oeconomicam divisimus; politicam verò ulterius in architectonicam & Rectoriam, Rectoriam denique in Legislativam, consultativam & judicariam.

Magis recepta ac celeberrima Jurisprudentiæ divisio est, qua dispescitur in naturalem & positivam; naturalis, quam alii ratione subjecti universalem appellant, quod gentibus omnibus semper & ubique communis sit, illa dicitur, quæ ea nobis suggerit, quæ jure naturæ præcepta, vel prohibita aut permessa sunt; positiva verò, qua ea intelligimus, quæ jure arbitrario cauta sunt. Hæc denuo dividitur in Jurisprudentiam divinam & humanam: divina scrutatur Leges à Deo tanquam auctore supernaturali liberè sancitas; humana occupatur circa Leges humanas, quas videlicet constituerunt homines, Legum ferendarum potestate præditi; abique hæc rursus in sacram & profanam; sacra seu canonica nuncupatur, quæ insudat Legibus Ecclesiasticis, profana, quæ immoratur Legibus politicis; quæ si attingat jura pluribus gentibus communia jus gentium, si autem Leges huic vel illi reipublicæ proprias, v. g. Romanæ, Atticæ, Spartanæ &c. Jus civile nuncupatur, & quidem publicum, si Leges immediatè utilitatem publicam, privatum verò, si immediatè respiciant utilitatem privatam. De quibus omnibus suo loco. Quælibet autem ex enumeratis Jurisprudentiæ speciebus subdividitur in Jurisprudentiam Theoreticam & Practicam, quibus hodie non pauci addunt Historicam: Sed de hac divisione, cum hodie inter Eruditos ac Jctos adeò famosa sit, pluribus non nihil agendum. Sit igitur

CONTROVERSIA II.

Quid sentiendum Jcto de divisione Jurisprudentiæ in theoreticam, practicam. & Historicam.

Jurisprudentia theoretica illa communiter dicitur, quæ Leges juxta Regulas artis interpretatur, ac conclusiones varias certas quin & evidentes ex iisdem colligit, absque hoc tamen, quòd descendat ad facta singularia: Practica, quæ Leges cognitæ juxta Regulas artis applicat ad singularia facta hominum: hinc ut Thomasius *Lib. I. C. I. de J. D. § 100.* in notis infert, Theoria potest esse perfecta absque exercitio, sed exercitium imperfectum est absque Theoria. Denique Jurisprudentia historica est, quæ Legum & Canonum tenorem circumstantias ac Chronologiam exhibet. Jurisprudentiæ practicæ legitimæ, seu Legibus constructæ, turba practicum tanquam minus foecundæ numerosam adoptat prolem, jure an injuria hoc fiat, parùm sollicita, modò hac ratione ejus in familiam subreperere, eaque vel invitâ inter Jurisprudentes degere valeat. Præ reliquis celebrantur sequentes species: Praxis Exlex, Empirica, formularia & rabularia. Verùm adoptionem hanc nullo jure factam esse, quia sine Lege, sine Judice, sine adoptantis consensu, quia subjectum, utpote servile, inhabile, paulò post demonstrabimus, ubi prius de principali divisione mentem nostram aperuerimus.

*De Effentia & Varietate Jurisprudentiæ.
Historia non est species Jurisprudentiæ.*

62 **U**T autem ab ultima seu Historia exordium ducam, jam suprà n. 9. ultro confessus sum, arctam omnino Historiam inter & Jurisprudentiam necessitudinem intercedere, illamque ad plerasque Jurisprudentiæ species, moraliter, ad unam verò aut alteram in gradu perfectiore obtinendam metaphysicè necessariam esse, nunquam tamen hucusque persuadere mihi potui, illam inter Jurisprudentiæ familiares numerandam esse. Enim verò Historia domestica est Jurisprudentiæ, non inficior, sed ancilla non domina, famula non filia, cui honesta ministerii non dominatùs gloria est relicta. Quamvis enim non ignorem, non paucos, qui erudito hoc sæculo majorum etiam gentium Jcti audiunt, reperiri, qui tam in Jure Canonico, quàm civili, eoque publico & privato non nisi historiam crepent, Conciliorum Decreta, Pontificum Constitutiones, Patrum dicta, Principum placita, Jurisconsultorum sententias &c. cum temporis computatione seu Chronologia identitem allegantes & commendantes; hi tamen, nisi artem Juris veramque interpretandi indolem calleant, Legesque ac Regulas generales ad causas singulares applicare, easque ad juris normam decidere norint, Historici non jurisprudentes sunt, Legumque notitiam sine ratione & sensu, non Jurisprudentiam, seu facultatem Leges ritè interpretandi & applicandi habent, ut enim Celsus L. 17. ff. de LL. ait esse Jurisprudentem, hoc est *scire Leges, non est earum verba tenere, sed vim & potestatem*. Igitur historia, quæ ex fine sibi proprio verba tantùm, textusque Legum tenet, nec vim earum & efficaciam rimatur, Jurisprudentia non est, nec Jurisprudentes, sed Legulejos facit. Videatur clarissimæ memoriæ P. Schmier n. 28. de *Jurisprud.*

63 Neque à semel lata me dimovebis sententia, etiamsi dicas, Historiam juris esse methodicam Legum notitiam, ordinatam ad ingeneranda vitæ politioris principia: quia vel methodica hæc notitia Leges ita ingenerat historico, ut simul earum vim & efficaciam ei ingerat, vel non? hoc secundum si asseras, meæ subscribis sententiæ, ac Historicum juris Legulejum, non Jurisprudentem dicis. Si verò primum contendas, fateri cogis, eum etiam, qui historiam Theologiæ, Medicinæ, Philosophiæ &c. profitetur, conclusionum omnium, quæ dictis in facultatibus traduntur, energiam comprehendere, & coniequenter, qui facultatum omnium historiam calleret, quantum homini fas esset, omniscius foret. Non equidem refragabor, Eruditos plerosque per Juris Historiam præcipuè eo tendere, ut mentem Legislatoris, sensumque Legum intimiùs penetrent, & quid justum, quid injustum intelligant, sicque Jurisprudentes evadant; ipsam tamen Historiam per se atque ex indole propria ad finem hunc tendere, adeoque jure inter species Jurisprudentiæ numerari, nunquam evinces, nisi historiam scientiarum & facultatum omnium compendium probes.

Statuitur differentia inter Jurisprudentiam theoreticam & practicam.

64 **H**Anc ipsam ferè ob causam displicet etiam quorundam definitio Jurisprudentiæ theoreticæ, qua dicitur illa esse, quæ solam præceptorum & principiorum Juris notitiam exhibet; cum utique id ipsum juris historia præstet. Si dicant, se per notitiam non qualemcunque, sed sensum Legum penetrantem intelligere, distinguunt quidem Jurisprudentiam theoreticam ab Historia, si id exprimant, illorumque definitio coincidet

cum

cum recepta illa, quam n. 61. ex Glettle de J. & J. §. 6. adduximus, quæ tamen & ipsa non levein patitur difficultatem ex verbis illis postremis: *Absque hoc tamen quod descendat ad facta singularia.* Si enim Leges humanæ, magna saltem ex parte, factis singularibus concinnatæ sunt, ut inspicienti corpora juris patebit, si Jcto prima etiam fronte evidens est, dictum de omni dici etiam de contento sub omni, quæ à parte rei Jurisprudentia theoretica abstinere possit a descensu ad singularia? difficulter explicabis. Neque enim satisfacies dicendo, Jurisprudentiam, quatenus est docens Theoricam, quatenus verò est utens, practicam appellari; quia Jurisprudentia docens haud dubiè Leges complectitur: Igitur si Leges descendunt, ad facta singularia, si Leges etiam universales Jurisconsultum necessitant ad distributivum descensum, Jurisprudentia docens descensum hunc evitare non poterit; neque enim si Jurisprudentia docens enuntiat, testamentum septenario testium suffragio destitutum, irritum esse, aliud Jcto innuit, quàm Testamentum Caji & Titii, omniumque civium Imperii, ut de Jure subsistere valeat, tanto testium numero suffultum esse debere. Ad hæc vel divisio hæc Jurisprudentiæ univoca est, vel tantum analogæ? Si univoca, utraque tam theoretica quàm practica erit directiva actionum justarum: non universalium, utpote quæ extra intellectum esse non possunt, sicque omnem moralitatem & directionem refugiunt: ergò singularium & consequenter non minus una ac altera ad facta singularia descendet. Si verò divisio hæc pro analogæ tantum habenda est, eò quòd Theoria Juris ad singularia non descendat, theoretica, nec propriè dicta Jurisprudentia, nec amplius practica erit; praxis enim non nisi in singularibus haberi potest. Quàm paradoxa autem hæc sint, nemo non videt.

Verum ne divisionem hanc, communi omnium calculo probatam, 65 penitus rejicere videamur, dicendum, illam omnino retineri posse, modo Jurisprudentia theoretica dicatur, esse virtus intellectualis, qua diriguntur actiones justæ, possibiles & futuræ, practica verò, qua diriguntur actiones justæ præsentis & præteritæ; hac siquidem ratione satis convenienter explicari potest, cur & quo sensu prior illa, quamvis pars subjectiva & species univoca sit habitus practici, theoretica dicatur; quia nimirum actiones possibiles & futuræ, quibus dirigendis unice intenta est, pro hic & nunc directionem effectivam non recipiunt, nisi fortè in scena umbratili, si casus possibiles existere fingantur, aut præteriti vel præsentis exercitii gratia sine Juris effectu ad amussim Legum decidantur, ut indicavi n. 29. atque hoc tantum sensu auditores juris tempore studiorum vulgo Theoriæ vacare dicuntur, postmodum, ubi manum ultimam Canonum ac Legum studio imposuerint, primum ad praxin admittendi, cum teste quotidiana experientia in Theoria hac profectum sperare vix possint, nisi continuo per varios casus & facti species, ut vocant, practica docendi methodus adhibeatur; non enim bene docet, aut audit hanc theoriam, qui solum docet, aut audit theoriam; hoc est sine omni praxi & applicatione ad facta particularia saltem futura aut possibilia. Res clarebit à pari cum arte gladiatoria; in hac enim ut proficias, sæpius in umbra cum hoste ficto congregiendum, jam dextrorsum, jam sinistrorsum instandum &c. ac tum demum, ubi sufficienter profecisse te videris, tuto lacestis hostem, atque ex umbra hac in arenam descendes, veris non fictis decertaturus armis. Compara jam gladiatoriam in umbra cum Jurisprudentia theoretica, practicam cum gladiatoria in arena, & patebit, qua ratione differant; nempe quòd hæc praxin veram exigit, illa etiam ficta contenta sit, eodem utrobique Jurisprudentiæ emolumento. Fal-

lit igitur & fallitur Thomafius, dum Juris theoriam esse posse sine praxi existimat.

66 Si autem Jurisprudentia ignorat theoriam sine praxi saltem aliqua, multò minùs praxin sine theoria eaque vera & solida probabit; implicat enim, ut Leges methodicè atque ex arte applicemus, quas ignoramus, aut ritè non penetramus: Architectus sine norma, Geometra sine mensura est practicus sine theoria, nec quid æquum, quid bonum, perspectum habebit, nec justum ab injusto discernet, & consequenter jurisprudens non erit. §. 1. *J. de J. & J.* nam qua fronte, qua fide actum aliquem legitimum, Legique commensum dicet? qui testamentum validum pronuntiabit? si Leges testamentarias satis cognitatas non habeat, si eas vel nunquam, vel obliquo tantùm & perfunctorio lustrarit oculo: Meliùs certè cæcus de colore, surdus de sono judicabit, quàm practicus sine theoria de justitia actionis & conformitate ejus cum Lege. Nisi igitur juris nostri volumina pertinaci labore teras; nisi Legibus intelligendis indefessa industria insistas, nisi quotidie legali sudore madeas, sicque in theoria per pugnas umbratiles solideris, nunquam nomen & encomium Jurisprudens aut boni practici mereberis, indignus proinde, qui à Jurisprudentia in familiam admittaris, ut vel in foro causas perores, vel in dicasteriis splendidum assessoris munus obeas, vel denique ad gubernacula justitiæ tanquam prætor assideas.

67 At sunt hodiedum, inquires, non pauci, qui his ipsis muneribus magna cum laude ac tribunalium commendatione funguntur, licet publica Jurisprudentiæ athenæa neque à limine salutârint, nec Juris Professores publicis in lectionibus vel privatis in Collegiis pro Jure & justitia perorantes audiverint, theoriæ quidem penitus expertes, solida tamen praxi commendatissimi. Verùm ne tu mihi Jctos hos, quos laudibus ad sidera tollis, ad infernum usque denuo deprimis, dum praxin eorum à theoria separas; si enim sine theoria est, non partus Jurisprudentiæ proprius, sed suppositivus, non species virtutis, sed vitii est, jure merito ad ingloriam illam turbam, de qua postea, amandanda. Absit tamen, ut ego tam malè de illis sentiam, omnisque theoriæ eos expertes dicam: neque enim Juris theoria publico solum, sed & privato studio comparatur, nec dictis tantùm, sed etiam scriptis Professorum venditur, quamvis rari appareant, qui in vasto hoc Juris gurgite privato labore eò eluctentur, ut primos inter natantes compareant: Sit igitur, Jctos hos tuos nunquam scholas publicas frequentasse, aut ex illis rudes propemodum rediisse, quod juvenilis fortè levitas, aut levitate peior fatalis socordia viam illis tunc saltem ad Legum notitiam præcluserit; ex hoc tamen inferre non licet: Igitur via hæc ipsis etiam postea præclusa mansit; igitur hodie omni theoria destituti sunt; sed si, ut ais, genuina praxi præstant, potiùs inferendum, quòd privato studio ad interiora Jurisprudentiæ theoricæ scrinia penetrarint, ac defectum Academiæ labore indefesso compensarint; examinando ad vigilem etiam lampadem Leges Romanas communes & publicas, vel saltem privatas & statutarias non modo scriptas, sed etiam non scriptas; uti sunt legales consuetudines, observantiæ legitimæ, probatiq; styli curiæ; horum enim omnium cognitionem intimam Jurisprudentia Theorica requirit; nulla quippe sine Theoria legitima est praxis, nulla sine Legum scientia methodica illarum applicatiò, verbo nulla prudentia, nisi etiam bruta animalia, quòd ex ductu naturæ agant, prudentia dicere velimus.

Con-

Confutatur Praxis Exlex.

EX his autem, si Jurisprudens es, tua sponte concludes, infamibus illis & spuris praxibus, quas ex mente malè practantium n. 61. praxi legitimæ subjunximus, in Republica Jurisprudentiæ igni & aqua interdicendum esse: in qua sententia ut & deinceps firmior persistas, larva speciosa, sub qua ab aliquibus proponuntur, paucis adhuc illis detrahenda erit. & imprimis praxis Exlex illa dicitur, quæ sprete Legum auctoritate, toto nisu in id intenta est, ut ex æquitate potiùs, quàm ex Legum humanarum placitis causæ omnes, præcipuè forenses, decidantur. Fundamentum liberrimæ hujus praxeos si exigas, Patroni illius, qui Jurisprudentiæ libertinos se jactitant, hanc assignant. Jus totum, aiunt, sive civile sive canonicum spectemus, meris subtilitatibus, ætati nostræ parùm consonis, abundat, ita ut vix ullam in jure utroque Legem invenire liceat, in qua firmum pedem tutò figere iis liceat, qui inter quotidiana decisionum, maximè forensium, discrimina versantur: quod enim una Lex explicat, mox altera implicat, quod una probat, improbat alia; nec aliud, quod speret, habet. *J*Ctus, etsi diu noctuque Juris æquor enaviget, quàm ut tandem in formidandas Legum implexarum syrtes conjiciatur, nunquam inde evasurus, nisi ad prudens boni viri arbitrium atque ad æquitatem respiciat. Quid ni igitur, subinferunt, fas erit, scyllam inter & charybdin constitutis sacram anchoram arripere, quam ipsi Legislatores sapientissimi suppeditant, dum *L. 8. C. de Judiciis* palam edicunt: *Placuit, in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quàm stricti juris rationem.* Ita, ni fallor, hi pro formosa hac sua Helena & saluberrima, si Superis placet, praxi, quos inter & illos numeres, quos, si fortè in decidendis causis gravior offendat difficultas, arrepto Alexandri gladio nodum, quem solvere non possunt, ex cerebrina quadam æquitate scindunt, sicque Juris oracula, si non implent, certè eludunt.

Indignaberis, opinor, amice Lector, ad bellum hoc ratiocinium, 69 in quo dubites, magisne fallat antecedens, an, quod deducitur, consequens? ego verò riderem, nisi laceram penitus sub his tortoribus Justitiam viderem. Quis enim risum teneat; si hirsutum Panis de Apollinis Lyra judicium audiat? quam ideò solum calumniis proscindit, ac Theonino arrodit dente, quòd obtuso ejus ingenio, crassisque auribus non quadret: Risu, inquam, exploderem malefactorum horum practicorum calumnias, si intra verba consisterent: blasphemant enim, quod ignorant; nimis subtiles, fructu vacuæ, ætati nostræ minùs consonæ ipsis sunt Leges; quia eas non penetrant, quia cerebrinæ eorum æquitati non conveniunt, in juris oceano difficiles Legum syrtes timent, inter scyllam & charybdin fluctuant; quia sine remis & velo, sine amussio, hoc est, penitus amussi se ei committunt. Sed cum ad facta etiam procedant, cum non rarò illis quoque, quibus credita sunt eloquia Justitiæ, quorum industria conservari deberet Legum auctoritas, ac inconcussa ad posteros transmitti, nihil non agant, ut eas convellant, aut inter tineas, specioso æquitatis obtentu, una cum Justitia sepeliant, non possum, quin tecum indignè, sacræque Themidi, si aliud non possim, lessum canam. Enimverò, si phantastica cujuslibet semitincti æquitas Legum æquitati præponderat, quæ tot curis aut vigiliis summis Legislatoribus ac *J*Ctis steteret; si jus dubium, juri certo, jus arbitrarium scripto, quod potiore ex parte in Jure naturæ & divino continetur, præferendum est, jus quoque naturæ & divinum, quod vel cogitare blasphemum est, ad insipidam ho-

rum Prætorum æquitatem reformandum erit, sublatæque omnis justitiæ norma sub specie nefandæ æquitate dominabitur iniquitas. Jure namque arbitrario si civitas regatur, tribunalium evertitur auctoritas, quodque hodie æquum cras iniquum pronuntiabitur; fraudibus & fallaciis patens laxatur janua, quibus ditiores mole nummata potentia inopes opprimant; ac denique facerrima Justitiæ delubra in speluncas iniquitatis transformantur, quò nec jus, nec fas, nec summa etiam æquitas penetrabit.

70 Quare nisi æquitate omni renuntiare velint, deserto, quò se recepere, ignorantia æylo, ad æquitatem potiùs legalem & scriptam, quam cerebrinam provocabunt; neque enim *ex L. 8. cit.* præsidium aliquod sperare possunt, siquidem Lex hæc de æquitate scripta atque a jure informata, seu quæ ex Jure colligi potest, non verò de arbitraria exaudiri debet: æquitas autem juris ac ratio discedendi à Lege scripta habetur, quoties est Locus Epykeja, ut enim dicitur *C. 8. de V. S. intelligentia dictorum ex causa est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Huc facit etiam *L. 4. §. 1. ff. quod certo loco.* & præcipuè *L. 15. ff. de LL.* vel quando decisio Legis est obscura & dubia; in dubio namque Legislator, quod æquius est, statuiffe præsumitur *L. 13. §. 2. ff. de Excusat. tut. L. 90. ff. de R. J.* ibi: *In omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est.* Atque his solum in casibus Legis hujus dispositio procedit, jubetque æquitate potius, quam stricti Juris rationem habere, causamque controversam ita dirimere, ac si in jure nihil de illa definitum foret. De quo casu loquitur *C. fin. de transf. ibi in bis verò, in quibus jus non invenitur expressum, procedas, æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas & causas, loca & tempora videris postulare.* Nunquam verò somniarunt Augusti Principes, Legi claræ atque expressæ æquitatem aliquam prævalere posse, sed potiùs in duriore etiam Lege cum Ulpiano dixerunt: *Quod quidem perquam durum est, sed ita Lex scripta est L. 12. §. 1. ff. qui & à quibus manumiss.* multò minùs id senserunt de æquitate cerebrina; hæc enim, eo ipso, quòd à Lege clara, utpote fundata in æquitate certa, *Can. 2. dist. 4.* deviet, non æquitas, sed manifesta iniquitas est. Si enim jus naturæ, si ratio naturalis præcipit, Legi justæ parendum esse, æquum esse non poterit, arbitrarium à Lege divortium; æquitas namque est convenientia quædam factorum, & rectitudo judicii naturalem sequens rationem Baldus in *L. 9. ff. de LL. n. 19.* Barbosa *axiom. 15. n. 5.* quare nullatenus *L. 8. cit.* praxis hæc Exlex probatur, aliàs dicendum foret, Legum conditores hac in Lege totum jus reprobasse, aptioresque Reipublicæ forent jurium penitus expertes quàm Jurisprudentes, utpote nulla sinistra ex Legibus ita noxiis opinione imbuti, & quod inde consequens est, *melioris essent conditionis stulti, quàm periti,* quòd non modò Legi positivæ *L. 4. ff. quod vi aut clam,* sed etiam naturali repugnat, nec alia in Republica, quàm in Arcadia fortè & Bœotica tolerabitur. Huc igitur, si sibi soli sapere pergant, relegandi erunt excentrici hi practici; ut ibidem venditare valeant heteroclitam suam æquitatem, quam nec Legum latores sapientissimi, nec acutissimi ingenii Jcti unquam agnoverunt, nec deinceps agnoscent.

Rejicitur Praxis Empirica.

71 **P**ost praxin Exlegem sequitur praxis Empirica, quæ arte Juris destituta solo usu & experientia rerum judicatarum nititur. Praxis hæc convenit cum priore, quòd æquè parum ac illa de Legibus laboret, disconvenit

venit verò, quòd in causis decidendis non extemporaneum arbitrium, sed res judicatas & exempla respiciat: hinc pleno ore præjudicia agglomerat, stylum curiæ ingeminat, parùm sollicita, utrum cum jure pugnent, an convenient: neque enim, si sectatores ejus audiamus, theoria quidquam ad praxin hanc conferre potest, nec pluris valet praxis; si cum methodica Legum notitia conjuncta sit, quàm si penitus ab ea fuerit separata, quòd sequenti discursu confectum putant. Vel enim versamur in materia, de qua Leges dubiæ aut controversæ sunt; vel ubi mens Legislatorum satis certa ac perspecta est, vel denique ubi Lege positiva nihil definitum habemus? si primum, in claris sumus, *consuetudo enim est optima Legum interpret.* L. 37. *nam Imperator noster Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex Legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter judicatarum auctoritatem vim Legis obtinere debere.* L. 38. ff. de LL. si secundam, denuo ad res judicatas, stylumque curiæ potiùs, quàm ad Leges etiam certas attendendum esset; siquidem in foro vim consuetudinis habet stylus curiæ, qui ex rebus sæpiùs similiter judicatis coalescit, ut Gaius lib. 1. *observat.* 1. pr. probat ex C. 11. *de constit.* citatque Felinum in c. 2. *de rescript.* n. 16. Consuetudo autem judicialis pro Lege habetur, legique contrariæ etiam claræ derogat, vel illam abrogat, prout liquet ex praxi Cameræ Imperialis, ex cujus stylo in pluribus causis, quæ de jure scripto non nisi per viam appellationis ad illam devolverentur, per modum simplicis querelæ Augustum hoc dicasterium in prima instantia adiri potest, uti *obs. cit. per tot.* ostendit Gaius, eadem enim imò certior vis & efficacia est ex communi DD. consuetudinis judicialis *arg.* L. 34. ff. de LL. quàm consuetudinis extrajudicialis; hanc verò Legibus etiam claris, ac certis, derogare, lippis etiam ac tonsoribus notum est. §. 9. & 11. *J. de J. N. G.* & C. L. 32. §. 1. ff. de LL. c. fin. *de consuet.* Si denique tertium, & Lege positiva humana de quæstione controversa decisum nihil est; æquitas naturalis exposcit, ut juxta stylum curiæ potiùs, quæ præsumptionem æquitatis pro se habet, quàm ex cerebrina quadam æquitate controversia definiatur; *diuturna enim consuetudo pro jure & Lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* L. 33. ff. de LL. Atqui si stylus curiæ, seu res sæpiùs pariformiter judicata Legem dubiam authenticè interpretatur; certæ verò derogat, si pro Lege observari solet, ubi Lex deficit, nec theoriã nec methodicã Legum notitiã praxis hæc indigebit, sed ex solo, quam profitetur, stylo curiæ causas omnes ad æquitatis & justitiæ, quin & ad Legis scriptæ normam rectissimè decidet: & consequenter praxis Empyrica non spuria, sed genuina Jurisprudentiæ soboles dicenda erit.

Quod ipsum haud dubie in causa fuit, cur Imperator Alexander ita⁷² Apro rescripserit: *Præses Provinciæ probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa cognita statuet; nam & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit, custodienda est, & ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Præses Provinciæ* L. 1. C. *quæ sit long. consuet.* Hinc etiam hodie vel iteratis rescriptis suis in tribunalibus curant Principes, ut Judices à se constituti ad stylum curiæ intentum habeant oculum; ne pretiosum ad eò Jurisprudentiæ cymelium periclitetur. Quid? quòd ipsi etiam Juris Professores in theoria sua penitus sepulti, si ultra scholas sapiant, suos auditores frequentius hortari soleant, ut, si aliquando, excusso pulvere scholastico, ex umbra theorica in arenam praxeos prodierint, toto studio in curiæ, cui adlegendur, stylum incumbant, suaque illi suffragia accommodent, ne, si fortè juvenili fervore acrius, quòd ex jure scripto didicere, contra jus hoc

*

K

non

non scriptum defendere conentur, se ac Theoriam suam probroso exponant risui, non sine graviori famæ, quam sibi in scholis compararunt, dispendio; neque enim Lex scripta anterior Legi non scriptæ posteriori prævalere potest, uti vel ex primis Theoriæ principiis discimus.

37 Atque hic est tremendus ille Achilles, quo Buccinatores hi praxeos Theoriæ insultant, eamque instar evanidæ atque exsuccæ inanium gerrarum proxenetrix coram inexpertis juvenibus exagitant; sed Jctus non est, qui ad aspectum ejus trepidat: Tolle praxi huic Theoriam, & umbræ corpus, corpori animam sustulisti, sicque penitus evanescet, aut in lutulentos abibit cineres, nec Jurisprudentiæ, sed imprudentiæ filiam se prodet. Finge enim, si lubet, nostra in Patria hos inter praticos inveniri aliquem, qui à tempore Thassilonis aut Theodonis res judicatas omnes, omnia retrò per mille & plures annos præjudicia felici teneat memoria: num propterea tu illum Jctum dices? non puto; nam aliàs etiam pueros, qui integram Juris Historiam æquè feliciter tibi reddent, Jctis annumerare debebis. Quòd si præterea eorum æquitatem, vim & efficaciam penetret, quantumque in discutiendis aut definiendis causis ministros præsidésque Justitiæ stringant, intelligat, ne tu mihi mirabilis es practicus, si hunc theoria destitutum, si praxin ejus empiricam asseras; cum utique non solum juris scripti, sed etiam juris non scripti, in quo primùm sibi ferè locum vendicat stylus Curix, Theoria detur: Totidem quippe Legis aut Juris Theoria divisiones patitur, quot species sui ambitu jus aut Lex continet. Quid autem notius, quid tritum magis; quàm divisio juris aut Legis in scriptam & non scriptam; non scriptæ in publicam aut privatam, in generalem & specialem &c. nisi igitur praticos hos tuos, quos empiricos honoris causa nominas, infra pueros elementarios dejicere velis, fatearis, oportet, eos praticos empiricos non esse, sed solida juris non scripti, & styli curix Theoria ac arte instructos; neque enim actiones suas, huic stylo conformes, justas esse scient, nisi & stylum hunc legitimum atque à jure scripto, à quo solo vim Legis obtinere potest, probatum noverint.

47 Quàm multiplex autem & accurata ad hoc ipsum illis theoria sit necessaria, nemo prudens non videt; nam si stylum curix à jure scripto probatum scient, scire etiam debent, eum Juri naturali saltem in quantum hoc mutationem etiam impropriam refugit, quin & juri divino positivo congruere; stylus quippe, qui his juribus non consonat, irrationalis & corruptela est, nec à Legislatore humano probari potest. *C. fin. de consuet.* Hoc verò qui scire possint, nisi Leges naturales & divinas satis perspectas habeant adeoque juris hujus utriusque theoria polleant, nunquam explicabunt. Multò minùs scient illum juri scripto concordare, si omni juris hujus theoria expertes sunt; si enim mensuram ignorant, quomodo ritè mensuratum dicent? qui hujusmodi stylum ad amussim regulæ introductum scient? si regulam nesciant, aut non intelligant. Sed hoc claritatis gratià paucis adhuc declarandum est.

57 Idolum hoc, cui pratici hi thus adolere dicuntur, triceps est, seu triplex est hic stylus curix, nimirum juxta, contra & præter Legem scriptam, ut paulò ante eorum etiam ex mente retuli. Stylum juxta Legem dico, qui Legem dubiam & controversam interpretatur, non verò illum, qui Legi claræ conformis est; hic enim jus novum nullum invenit, sed jus scriptum tantùm confirmat; prior verò illud declarando supplet, & sic suo modo jus novum constituit, idque ex mente ipsius Legislatoris. Stylus contra Legem est, qui Legi scriptæ vel simpliciter, vel secundum quid contrarius est. Stylus demum præter Legem dicitur, qui habe-

habetur in materia, de qua Lege scripta cautum nihil est. Jam vero, etsi libens consentiam, stylum juxta Legem pro Lege habendam per L. 37. & L. 38. &c. & alia jura n. 71. cit. idemque sentiam de stylo præter Legem ex L. 33. ff. de LL. modò juri naturali & divino, quin & juri gentium congruat. L. 9. ff. de J. & J. de stylo Curix tamen contra Legem scriptam, an etiam hic jus faciat, atque pro Lege habendus sit, Legique priori deroget, res ita expedita non est; siquidem non desunt Doctores, qui negant, per stylum Curix jus certum & liquidum abrogari, saltem quod attinet jus partium, aliud est de forma processus: hinc quo ad jus partium Leges claras & certas in contradictorio non obstante tali stylo semper urgeri posse contendunt, videatur Huberus in ff. de LL. n. 15. imò Millerus ad Struvium Exercit. 9. thes. 67. post Rolandum à Valle sine omni distinctione docet, stylum Curix particularis non posse prævalere Legi scriptæ claræ; ea forte ex ratione, quia quòd Legem dubiam declarare valeat stylus Curix, expressum habetur L. 38. & aliis supra citatis, nullibi verò exprimitur, stylum contra Legem vim Legi derogandi habere, sed potius oppositum sancitum habemus L. 13. de sent. & interloc. ibi: *Nemo Judex vel arbiter existimet, consultationes, quas non ritè judicatas esse putaverint, sequendum, & multo magis sententias eminentissimorum præfectorum vel aliorum procerum (non enim, si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum judicum vitium extendi oportet; cum non exemplis, sed Legibus judicandum sit) neque si cognitionales sint amplissima præfecturæ, vel alicujus maximi magistratus prolata sententiæ, sed omnes Judices nostros veritatem & Legum & justitiæ sequi vestigia sancimus.* nec obstat C. 11. de constit. quod allegat Gaius, agit enim de stylo formulario, seu de stylo scribendi, uti etiam C. 2. de rescript. & ibi Felinus, stylus autem scribendi huc non quadrat, sed ad praxin formulariam pertinet. Denique praxis Imperialis Cameræ in tribunalibus inferioribus vim Juris habere non potest: Ut enim sapienter enuntiavit Proculus L. 12. ff. de off. Præf. licet is, qui Provinciæ præest, omnium Romæ Magistratum vice & officio fungi debeat, non tamen spectandum est, quid Romæ factum est, quàm quid fieri debeat.

Quod si cum practicis his in omnia alia discedas, ac contendas L. 13. cit. exaudiendam esse ad mentem Proculi L. 12. cit. de stylo alienæ, etiam superioris, non verò propriæ curiæ, ut colligitur ex verbis *aliorum Judicum*, vel etiam de stylo, qui consuetudinem efficere non potest, non verò de illo, qui vim consuetudinis habet, non multum reluctabor; si enim stylus Curix juxta & præter Legem vim consuetudinis habet, modò perpetuo ita judicatum fuerit L. 38. cit. id est sine interruptione. L. 24. ff. ad SC. Trebell. nam si interdum aliter judicatum fuerit, aut observatum vim consuetudinis & consequenter styli curiæ non haberet L. ult. C. quæ sit longa consuet. nulla apparet ratio, cur stylus curiæ contra Legem vim consuetudinis habere, adeoque Legi derogare non possit, si perpetuo contra Legem judicatam fuerit; quantum enim valent actus continui & non interrupti juxta Legem positi in Lege dubia interpretanda; tantum posunt actus contra Legem positi in Lege etiam clara abroganda, ut ex paritate cum consuetudine generali clarum sit: Sed priores in Lege dubia interpretanda vim Legis obtinent L. 38. cit. eandem igitur vim habebunt posteriores in Lege abroganda, & consequenter vim Legis contrariæ & derogatoriæ Legis scriptæ habebunt. Prout indubitata praxis & observantia non solum Augustæ Cameræ, sed inferiorum etiam tribunalium habet, ubi sæpè in judicandis & discutiendis causis non tam ad Legem scriptam, quàm ad stylum Curix, legitime introductum, attenditur. Ex

quo & illud deducitur; licet stylus juxta & præter Legem unius Curiae etiam supremæ non necessario extendi debeat ad aliam etiam inferiorum curiam, stylus verò contra Legem ita extendi non possit per L. 13. § 12. n. p. cit. Eum tamen in Curia, in qua & pro qua introductus fuit, necessario observandum, & pro Lege habendum, non modò si juxta aut præter Legem sit, sed etiam si præcedenti repugnet Legi, uti de stylo formulario, de quo c. 11. § c. 2. cit. recepta & certa satis tenet opinio.

77 Ex his jam ita ulterius contra hos practicos insurgo, vel enim voluit, stylum Curiae particularis prævalere Legi scriptæ etiam claræ & certæ, vel oppositum tenent? quidquid dixerint, inepta & puerilis erit eorum praxis, si theoria juris humani scripti penitus destituta sit: Nam si secundum asserant, & opinioni Milleri aut Huberi subscribant, velintque stylum Curiae particularis Legi claræ simpliciter non derogare, aut saltem illi non prævalere quo ad Jus partium, evidens est, illos sine Theoria Juris scripti scire non posse, an styli, quos crepant, sint legitimi atque pro Lege habendi; quia nisi Jus scriptum teneant, Legumque vim penetrent, scire nequeunt, an non contra Leges easque claras & certas pugnent, sicque pro nullis habendi sint: Si verò sine theoria juris scripti ignorent, aut dubitent, num styli sint legitimi, ignorant pariter & dubitant, an detur Jus illud non scriptum? quo domitiano prorsus more gloriântur: qui autem Jus, quod profitetur, ignorat, aut de ejus existentia dubitat, nec jurisprudens est, nec Jurisprudentiam habet, nisi ignorantiam prudentiam dicere velimus. Quàm parùm igitur sine methodica juris notitia jurisprudentia aut jurisprudens haberi potest; tam parùm praxis Empirica, si omni Theoria juris scripti destituta sit, supposita priore illa opinione, inter species Jurisprudentiæ numerari poterit.

78 Si verò prius illud defendant, teneantque stylum Curiae Legem etiam certam & claram abrogare, vel ei derogare posse, ut nostro in Imperio dubitare vix licet; neque enim ulla abundantior causa est, Juris Romani aut etiam provincialis labefactati, quàm multiplex adeò & diversus curiarum diversarum stylus: denuo cum praxi hac sua errabunt in tenebris, nunquam evasuri, nisi Theoria Juris scripti lumen illis accendat. Sed propria confessione, quæ optima probatio est, ab uno aliquo hujus farinae practico elicienda est veritas. Quid ais vir consultissime; Legem scriptam stylo Curiae subactam esse asseris? At unde hoc nosti? an Legem scriptam tenes? an vim ejus penetras? si negas, quomodo abolitum dicis, quod, num aliquando exstiterit, ignoras? Si affirmas, qui praxin tuam sine Theoria Juris scripti esse contendis? neque effugies, si dicas, stante posteriore hac sententia de stylo contra Legem, satis esse practico, si sciat hunc illumve stylum sua in Curia vigere; nec opus esse, ut inter stylum Curiae juxta, præter, & contra Legem distinguere possit; cum unus æque ac alter vim Juris & consuetudinis obtineat, sicque notitiam Juris scripti illi necessariam non fore. Si enim ex jure scripto discere debes, quæ styli hujus vis & efficacia? an rationabilis & legitimus sit? nam si à jure hoc penitus reprobaretur, non stylus, sed corruptela foret: qua fronte stylum hunc legitimum dicis? si in Jure scripto rudis penitus & peregrinus sis. Ex sententiis perpetuò conformiter latis, inquires, sed cave, quæso, ne tibi tam turpiter contradicas, & dum praxin tuam ab omni Juris scripti Theoria separare cogitas, ad Jus scriptum provocas; neque enim scires ex sententiis perpetuò conformiter latis stylum Curiae nasci, nisi ex Jure scripto hoc didicisses. Ad hæc nunquam rescies, quot sententias, & quantum temporis requirat stylus Curiae, ut vim consuetudinis

nis ac Legis non scriptæ obtineat, nisi ad Jus scriptum recurras, atque ex *L. 1. §. fin. ff. de jur. delib. L. 32. pr. ff. de usur. L. 137. §. 2. ff. de V. O.* aliisque concludas, in iis, quæ jure determinata & certa non sunt, ad arbitrium judicis recurrendum esse; implicat enim, te scire in jure scripto circa hoc determinatum nihil esse, si jus scriptum ignores, si ejus vim ac potestatem satis cognitam non habeas, si juris hujus theoriâ destitutus sis. Mihi crede, frustra es, si te Jurisprudentem, praxin hanc tuam genuinam Jurisprudentiæ speciem jactes, nisi arctissimo connubio Juris scripti theoriâ illi jungas.

Ediffere enim; unde in dubio, & consequenter plerumque colliges, 79
Judices per sententias has suas stylum Curix, vim consuetudinis habentem, adeoque novam Legem introducere, præexistentem interpretari, aut etiam abrogare voluisse, nisi ad præsumptiones Juris scripti confugas, atque ex illis concludas, Judices Legem scriptam ritè penetrasse; quia quilibet creditur aptus ad officium suum, nisi contrarium probetur *C. fin. de præsumpt. inepus autem est ad officium Judicis, qui Juris scripti satis peritus non est. J. pr. de off. Jud. C. 1. de consanguin.* nisi enim ita pro Judice præsumas, nunquam tibi de hac ejus intentione constare poterit, & consequenter, cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum *L. 19. pr. ff. de R. C. c. fin. de præbend.* nunquam scies, stylum Curix vim consuetudinis habentem introductum fuisse. Nam si Judex Legem penitus ignorasset; si Legem claram & certam ex defectu sufficientis scientiæ dubiam & controversam putasset, sententiæ ipsius nunquam stylum Curix aut novam Legem efficere potuissent; qui enim ignorantia & errore laborat, caret animo vel novam Legem producendi, vel veterem abrogandi, cum nihil magis consensui contrarium sit, ac ignorantia & error *L. 15. ff. de Jurisdic. L. 116. in pr. ff. de R. J.* sic pariter, ut de intentione hac securus certusque sis, necessario præsumere debebis, Judices illos viros bonos, ac æqui tenaces fuisse, nec amore, nec timore, nec muneribus flectendos, causaque ritè discussa judicasse; prout non solum jure naturæ, & divino, sed etiam jure humano scripto ab illis exigitur *Can. 78. caus. 11. q. 3.* ac alibi in utroque jure passim. Hac enim præsumptione deficiente, etiam præsumptio de intentione introducendi stylum Curix cessabit. Quid enim? si Judex sordibus corruptus, favore vel odio in transversum actus, sententiam protulisset, vel tædio aut fœcordia victus perfunctoriè duntaxat rem totam pertractasset? num ex hujusmodi etiam sententiis stylum Curix constari putabis, de quo tamen ipse Judex nec somniavit quidem. Certè nisi illum etiam stylum Curix legitimum & amplectendum probes, quem jura reprobant, quod nunquam præstabis, quamdiu inconcussæ stabunt Leges de consuetudine & Jure non scripto; stabunt autem semper, sine theoria Juris scripti stylis his tuis nunquam Jcti nomen mereberis, sed toto Jure cum Legulejis proscriberis, similisque eris cantoribus, qui ex praxi cantant, & nesciunt rationem sui cantus, millenis propterea erroribus expositi, utpote qui sibi non minùs in vocibus absonis applaudunt, quàm si ex arte cum Apolline cecinissent.

Atque hæc præsumptiones de peritia & æquitate Judicis multò magis 80
ad eum etiam extendendæ sunt, quem Jcti Referentem appellant, quo solo ferè contra hanc praxin insurgit Glettle de *J. & J. §. 6. n. 7.* mos siquidem hodie plerisque in dicasteriis invaluit, ut antequam ad sententiam in causis procedatur, unus ex Consiliariis vel Assessoribus ad Juris & Legum trutinam jubeatur expendere causæ merita, ritèque expensa ac discus-

sa ad plenum Senatum referre: Itur deinde in suffragia, ac concordibus plerumque calculis approbatur sententia, pro qua Orator steterat: Quòd si unus alterve ex Assessoribus in diversum abeat, nisi magna in Senatu auctoritate polleat, velut morosus Cato à reliquis exploditur, ac poenam talionis expectare jubetur. Et tamen nisi reliqui memoria prodigiosa, ingenio ac judicio critico plus quam humano excellent: nisi Leges omnes plenè possideant, vix est, ut totum litis apparatus, omnèsque ejus circumstantias, ex sola relatione discere, jura juribus conferre, momenta utriusque causæ ad Legum lancem expendere, ac in arena consilium capere, sicque ex stapede, ut ajunt, decernere possint, cujus partis merita præponderent? ex hujusmodi autem sententiis stylum Curix adstruere, causasque hodie emergentes ad amissim illarum decidere, si non perniciosum, periculosum tamen erit, nisi gravis de peritia & æquitate Oratoris præsumptio haberi possit; quin imò etiamsi de habilitate & justitia Oratoris indubitato constaret; quia etiamsi hic sine omni partium studio causam exactè omnino discussisset, præsumi tamen de illo nullatenus posset, cum stylum Curix, vim Legis ac consuetudinis habentem introducere voluisse, cum scire potuerit, quin & debuerit, ejus ex arbitrio nullatenus pendere, novis Legibus Curiam sepire, aut prioribus avulsis Themidis sacrarium direptioni permittere. Multò minùs præsumptio hæc locum habere potest de reliquis Assessoribus, qui ejus sententiæ subscripserunt; hi enim utpote obiter solummodo de causæ meritis instructi, longè probabiliùs illam Legibus conformem judicarunt. Et tamen, quod mireris, ex hujusmodi potissimum sententiis conflati sunt styli Curix, quibus non rarò in Curix & Jctorum Collegiis Jus scriptum, Legesque sacratissimæ impugnantur, quamvis rarus sit ex his practicis, qui stylos, quos jactat, existere, aut legitimos esse probet. Exauctoranda itaque est praxis hæc Empirica, quia si theoria destituta est, stylos legitimos à spuriis non discernit, quòdque inde consequens est, manifesto discrimini exponet justitiam; ubi enim Legum auctoritati deferendum, illi detrahet, ubi verò eidem detrahendum esset, zelo præpostero ei deferre conabitur.

- 81 Sed ne nimius sim, palmam in pugnum contraho. Praxin empiricam tanquam spuriam rejiciendam esse dico, quia si theoria juris naturæ & Gentium, quin & divini, quibus nullus Curix stylus prævalere potest, expertus sit, in propinquo omnino erit periculo, ne turpissimè hæc in Jura impingat; si verò theoria Juris humani non scripti, imò & scripti careat, stylos legitimos cum illegitimis promiscuè habebit, quòdque inde sequitur, ejus de justitia actionis arbitrium plus non curandum, quam talpæ, vespertilionis & noctuæ de solis lumine judicium. Et verò, si praxis Juris naturæ sine ejus theoria implicat, ut consideranti patebit, implicabit haud dubiè praxis etiam Juris humani sine sufficienti ejusdem theoria. Quod si verò praxis hæc empyrica esse desinat, si arctiori necessitudinis vinculo theoriam Juris, præsertim universalis, sibi conjunctam habeat, tantum abest, ut illam improbem, ut eam etiam præ reliquis commendem; neque enim praxis hæc iis duntaxat, qui in foro & Curia versantur, sed & illis, qui exedris & scholis præsent, oppidò necessaria est; nam sicut praxis hæc à theoria penitus avulsa per invia errabit & devia, sic theoria sine praxi hac sæpiùs in incerto fluctuabit: Enim verò, qui Jctus aliquis, vel integrum etiam Jurisperitorum Collegium in causis sibi è foro submissis sine hæsitatione pronuntiabit, si, qui legitimi ibi vigeant styli, ignoret, si nesciat, an non Juri scripto communi aut par-

ticulari inibi derogatum fuerit. Præsumere posset, ita est, nullum hujusmodi stylum, qui in causam hanc incidat, adesse, si de eo à submittentem nulla mentio fieret; si tamen præsumptio falleret, nolens volens sua in decisione à scopo aberraret. Hinc Legislator Provinciæ Præsidi Curia stylus observandos rescribit, caventque vel hodie Principes, ut suis in tribunalibus facti tecti conserventur, Juris verò Professores illos Juris communis aut statuarii theoriæ conjungendos docent, uti dictum n. 72. sine his enim theoria manca est, sine theoria verò illorum notitia inanis & fatua, nec Jurisprudentiæ nomine digna, quod hucusque demonstratum fuit.

Perstringitur Praxis Rabularia.

INter praxes spurias perniciosissima haud dubiè est praxis Rabularia, quæ⁸² sufficiente Juris notitia instructa ex professo Legibus abutitur, easque favoris odii aut lucri gratiâ, quamvis in partem inflectere conatur, ac si Regulæ Lesbicæ forent. Verùm praxin hanc non Jurisprudentiæ, sed imprudentiæ, non virtutis, sed vitii speciem esse in propatulo est; hinc in definitione dixi *juris notitia*, quæ ad actiones justas & injustas indifferens est, non verò *juris prudentia*; hæc enim utpote virtus intellectualis ad actiones justas inclinat. Et verò, quid scelestius vel fingi posset, quàm Leges alioquin castissimas adulterare, amicam Legibus simplicitatem pervertere, clarissimum veritatis lumen obfuscare, causas sordidissimas æquitatis fuce inaurare, ac denique ipsum jus armare in tutelam injustitiæ, idque non aliam ob causam, quàm ut effrenatæ passioni per summum nefas litetur, ac lucro nefario proprium pinguefcant marisuppium. Fallor autem, nisi scelerata hæc praxis socia & æmula sit praxis ex legis; nam & hæc, quando Leges passionibus excoecato arbitrio congruunt, illas amplectitur, non quia ita Legislator jubet, sed quia tali practico, qui extra se Legem nullam agnoscit, æquum videtur. Praxin verò empyricam rabulariæ huic praxi magna ex parte originem suam debere, dubitari vix potest; ea enim hodie vivimus tempora, ubi non omnia tribumalia Numinis timore circumsepta sunt, sordibus quandoque patent, ac studiis partium distringuntur. Quid igitur mirum, si styli Curia contra Legem sententiis hac ex praxi profectis scateant.

Nefandæ adeò praxeos rei aguntur, gravibusque poenis in jure com-⁸³ pescuntur Judices, qui per sordes, dolo aut malitia perversè judicant: Hinc præter dispendium famæ, quod patiuntur in sua persona, læso condemnantur ad veram litis æstimationem, quanti videlicet illius interest, malè judicatum non esse L. 15. §. 1. ff. de jud. L. fin. C. de pœn. jud. qui malè. Novell. 124. cap. 2. vide quæ dixi de Judice per sordes corrupto tract. de pact. cap. 3. n. 189. & seqq. quid? quod hac ratione contra proprium juramentum sacrilegè veniant; hoc enim in primordio suscepti judicii promiserunt; se omnimodo cum veritate & Legum observatione judicium disposituros. L. 14. C. de jud. simile quoque nefas praticare censentur Advocati, si causam injustam malitiosè suscipiant, si injustitia causæ cognita transactionem adversario persuadeant, si patrocinentur causæ dubiæ, nisi simul probabilis affulgeat spes victoriæ, si causam etiam justam malevolè negligent, aut studiosè protelent. Nec minùs, si quid proponant, quod nec justum, nec verum credant, si dolo malo adversarium etiam in bona causa circumveniant; neque enim faciendum est malum, ut eveniat bonum. Patent hæc omnia ex natura negotii, atque ex Juramento calumniæ, quod de jure initio cujusque litis, L. 2. C. de jurejur. prop. cal. de consuetudine verò aliquorum locorum in susceptione officii præstant. Vel maximè

autem rabulariam exercent, si fidelitatem clientis non præstent, nec debitum fervent silentium, si cum adversario aut Advocatis colludant, aut causam prodant, vel aliquid eorum gratia omittant; his quippe casibus quasi prævaricationis & criminis falsi reos se faciunt. *L. 9. §. 4. de bis, qui not. inf. L. 1. pr. & §. 1. L. 3. §. 2. ff. de prævar. L. 38. §. 8. & 9. ff. de pœn. L. 212. ff. de V. S. videatur Lauterbach ad tit. de postul. §. 22. & seq.* Sed pudet infami huic praxi diutiùs immorari, cum palam sit, vix alio delicto iis, qui JCTi audire cupiunt, graviolem inuri notam, quam si de illa vel suspicio in eos cadat; id solum dolendum, grandè adeò delictum, in optima etiam Republica non rarò impunè practicari, ac paucorum rabularum consortio numerosa JCTorum Collegia, ipsamque Jurisprudentiam Reginam integerrimam turpissimè traduci, dum passim jam definitur, quòd sit ars specie justii impunè alios expilandi.

Exploditur Praxis Formularia.

84 **I**N rejectitia illa praxium turba quartum sibi locum vendicat praxis formularia, quæ de jure non anxia solennibus rerum agendarum formulis ac processuum ceremoniis immoratur. Habet & hæc praxis adoratores suos, eosque non adeò paucos, ex iis præcipuè, quos curta ingenii vel patrimonii suppellex ad publicum Juris studium aspirare non finit, aut quos à coepto difficultas, vel difficultate major pigritia deterret; hi enim, cum de theoria desperent, ut praxin Juris addiscant, ad Procuratores, Actuarios, scribas, aut nescio, quos alios supparis farinæ socios convolant, tunc demum in praxi Juris egregiè se profecisse rati, cum innumeras rerum agendarum formulas, non tam ingenio penetrant, ac memoria tenent, quam in cista circumferunt. Doctores profectò in folio, aptiores tamen, qui ferulam ingloria manu regant, ac in formandis caracteribus elementariam juventutem imbuant, quam ut causas forenses tractent. ut loquitur Glettle §. 6. cit. n. 11.

85 Praxis hæc si theoria careat, soror aut filia est praxis empyricæ; & consequenter iisdem de causis à Jurisprudentiæ familiaribus excludenda erit. Enim verò, etsi hujusmodi practicus millenas calleat formulas rescriptorum, processuum, testamentorum, aliorumque instrumentorum, si tamen Leges de rescriptis, processu Judiciali, de testamentis &c. non ritè intelligat, nec substantialia ab accidentalibus accuratè discernere norit, ad quamlibet mutationem synonymam hæsitabit, quin & instar tritonis, tecto impositi, à levissimo etiam oppositionis vento quamvis in partem feretur, jamque formam legitimam, jam illegitimam pronuntiabit, ac propriam discet experientiam inanem, fulem & nullam esse artem illam, quæ theoria seu methodica Legum intelligentia destituta est. Nolim tamen existimes, me praxin hanc penitus rejicere, laude enim sua indigna non est, non minùs ac praxis empyrica, modò famulam non dominam agere, atque in tribunali Themidis ministrare non ministrari cupiat. Si Jurisprudentia essetum est, veredos agunt praxis empyrica & formularia, si navis est, remiges sunt, quibus haud dubiè optatum tenebit portum, si theoria Juris ad clavum sedeat, praxisque has dirigat: Quòd si verò theoriam sibi omninò copularint, dignæ etiam erunt, ut & ipsæ ad gubernacula vocentur, quòd tamen extra hoc connubium nunquam sperare potuissent. Habes hic amice Lector, quid de Jurisprudentia theoretica & practica sentiendum autumem, mecumque, ni fallor, concludes, nullam sine aliqua praxi theoriam; nullam verò praxin sine theoria à JCTo probari posse. Quo tota hac controversia collimavimus.

§ECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Objecto Jurisprudentiæ in Genere.

Jurisprudentia ut n. 58. diximus, est habitus indefectibiliter disponens ad actus veros, quibus diriguntur actiones humanæ justæ; priora verba, quæ locum generis obtinent, satis superque in superioribus declarata fuere: ordo igitur doctrinæ exigere videtur, ut & posteriora, quæ differentiam ejus indicant, pluribus explicemus. Cum autem ex communi Philosophorum effato habitus ex objecto, circa quod occupantur, differentiam specificam mutuentur, in Sectione hac industria nostra in eo potissimum desudabit, ut Jurisprudentiæ objectum ea, qua licuerit, claritate depingamus, adeoque dilucidius exponamus, qua ratione justæ, qua justitia informatæ esse debeant actiones humanæ, ut Jurisprudentiæ objectum dici & esse possint. Quare in §. i. naturam & varietatem Justitiæ; in 2. verò, qualem Justitiam suis in actionibus Jurisprudentia intendat, pandemus.

§. I.

De Natura & Varietate Justitiæ.

S U M M A R I A.

86. Jus à jubendo, à jure justum, à justo justitia, à justitia jus sumptum pro Lege, à jure sumpto pro Lege Jurisprudentia derivatur. 87. Justitia sumitur vel pro complexo omnium virtutum, vel pro caritate, vel pro virtute particulari. 88. &c. Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. 90. &c. Dividitur justitia in universalem & particularem: Universalis est constans & perpetua voluntas jus suum, ex causa universali debitum, communitati seu republica tribuendi: Particularis verò est constans & perpetua voluntas jus suum, ex causa particulari debitum, cuique tribuendi. Causa universalis in priore est pactum tacitum, à civibus cum republica initum, quo promittunt, se in omnibus suis actionibus ad bonum publicum intentos fore, non modo in illis qua præcepti, sed etiam qua consilii sunt. 93. &c. Pactum hoc tacitum probatur ratione, & ostenditur justitia universalis objectum esse jus rigoro-

sum ex analogia cum justitia hominis erga Deum. 95. &c. Qua probabilis est proprie dicta justitia, potestque per illam jus Dei proximum adequari; quamvis neque hanc adæquationem per se & formaliter intendat justitia proprie dicta. 98. &c. Ex nexu verò politico, quo civis Republica devincitur, nulla ratione probatur, jus communitatis esse minus rigorosum. 100. Multò minus ex prætensa illa distinctione adæquata inter creditorem & debitorem. 101. &c. Quinimò, cum jus republica fundetur in jure ejus jurisdictionis, indubitato rigorosum est, obligatque ad compensandum damnum, quod datum fuit culpa lata, ea scilicet compensatione, quam damnum admittit, ac respublica exigit. 104. neque obstat quod jus hoc non plene subjaceat liberae creditoris dispositioni. 105. Multò minus, quòd etiam illa actiones, qua consilii non præcepti sunt, jure hoc, saltem sub conditione, debeantur. 106. Justitia particularis, qua jus ex causa

M

par-

particulari, debitum respicit, dividitur ulterius in commutativam & distributivam. 107. Justitia particularis commutativa est constans & perpetua voluntas Jus suum rigorosum, ex causa particulari debitum, cuique tribuendi. 108. Frustra additur in definitione hac ab aliis: ad æqualitatem: 109. &c. Ad actum justitiæ commutativa necessarium non est, ut jus illud rigorosum nondum sit extinctum, sed virtus hac inclinare etiam potest ad debitum sufficienti solutione jam extinctum denuo solvendum, quod pluribus probatur. 113. Justitia distributiva est constans & perpetua voluntas jus suum minus rigorosum, ex causa particulari debitum, cuique tribuendi. 114. &c. Ad justitiæ distributivam non solum pertinent bona, sed etiam mala ac onera communia, quin etiam bona privatorum alteri jure minus rigoroso debita; est enim justitia distributiva redrix & comes earum virtutum, qua aliis hominibus absque pacto utilitatem afferunt. 117. Justitia in genere differt à reliquis virtutibus precipue, quod agat ex motivo juris, quod alteri, cui aliquid tribuit, proprium est. 118. Inter Dominum & servum proprie dictum, non qui solum tales, sed etiam quæ tales sunt, locum habere potest justitia, & quidem proprie dicta, non verò, si servus quæ talis consideretur ut instrumentum aut res Domini pleno jure illi subjecta. 119. &c. Etsi autem inter filium & Patrem de jure naturali & Gentium locum habeat justitia proprie dicta, uti etiam de jure civili inter Patrem & filium naturalem etiam legitimatum, nisi filius consenserit in legitimacionem. Idem est de filio naturali & legitimo emancipato, ac de filio familias, qui talis est, ut patet ex peculio Castrensi; quin etiam de filio familias qua tali, quatenus nimirum non reputatur eadem persona cum

Patre, ut contingit in bonis adventitiis: non tamen dari potest justitia proprie dicta inter patrem & filium familias qua talem, quatenus reputantur eadem persona, ut fit in bonis profectitiis. 124. Potest homo Deo obligari ex justitia proprie dicta, non tamen Deo homini, quod probatur. 127. &c. Justitia universalis differt à particulari, quod ex motivo juris, ex causa universali debiti, omnes omnium virtutum actus ad bonum reipublica dirigat. 129. &c. Est virtus distincta à complexocæterarum virtutum, etiam à pietate in patriam obedientia &c. eadem tamen specie est in Principe & subditis. 132. &c. Justitia particularis commutativa differt ab universali, quod tribuendo alteri jus, ex causa privata debitum, bonum ejus privatum tantum procuret, à distributiva particulari, quod jus rigorosum respiciat, nullatenus verò ex diversa proportione: multò minus vel ab hac vel à cæteris virtutibus differt, quod hæc medium rationis, illa medium rei respiciat. 137. Justitia distributiva particularis à commutativa cæterisque virtutibus differt, quod ex motivo Juris minus rigorosi ex causa particulari debiti, civibus distribuat bona ac onera communia, quia & cætera humanitatis officia debita cum proportione exhibeat. 138. &c. Justitia vindicativa non aliter differt à distributiva, quàm pars subjectiva differat à suo toto. 140. &c. Hinc divisio à nobis tradita est adæquata, ac bene defenditur esse univoca. 142. &c. Et perperam impugnatur à Thomasio. 144. & seqq. Explicatur pluribus Regula illa juris: Scienti & consentienti non fit injuria, & defenditur, sensum illius esse hunc: Scienti & voluntate, quantum in se est, juris sui abdicativa, consentienti non fit injuria formalis; sive validus sive invalidus sit consensus.

36 **J**ustitia juxta Alciatum inde dicta est, quod vim sistat; juxta Hotomanum verò appellationem hanc suam ex eo traxit, quod jus cuique sistat. Verior est opinio, qua à jubendo jus, à jure justum, à justo justitia, à justitia sumpto denique jus, sumptum pro lege, à jure sumpto pro lege Jurisprudencia deducitur: neque hæc derivatio tantum grammaticalis est, ut putat Harprecht pr. J. de J. & J. n. 3. & seq. sed etiam juridica; Justinianus enim uti & Ulpianus dum primum titulum J. & ff. inscribunt de justitia & jure, non contra de jure & justitia, sicque jus à justitia tanquam posterius à priori derivari indicant, veluti infert auctor citatus, sumunt jus pro lege vel jurisprudencia, non verò in alio sensu, ut patebit vel inspicienti

titu-

titulos allegatos; siquidem ibidem solum de jurisprudentia, ejusque præceptis, de jure gentium naturali & civili, non verò de jure in alio sensu agunt, adeoque non sumunt jus prout objectum est justitiæ, eique nomen indidit, sed prout ab ea nomen accepit. Sed nolo huic liti vocabulariæ immorari.

Variaæ autem sunt acceptiones justitiæ; nam I. sumitur pro comple-87
xo & collectione omnium virtutum. Justum enim, à quo justitia derivatur, illud dicitur, quod est adæquatum & commensum suæ regulæ, cui debet commensurari; unde justitia dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem & commensurationem; quare cum collectio omnium virtutum sive actu sive habitu formaliter adæquet, ac veluti commensam reddat voluntatem suæ regulæ, seu legi naturali divinæ & humanæ, rectè vocatur justitia, & quævis virtus pars justitiæ; præsertim cum hac ratione ordinetur ad alterum, quod notio justitiæ postulat, nempe ad Deum & communitatem, quorum legibus conformatur; per omnem namque virtutem Deo & communitati homo reddit, quod eis debet. Atque ita accipitur passim in scriptura, ut cum dicitur *Matth. 5. nisi abundaverit justitia vestra*, & iterum, *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam &c. qui persecutionem patiuntur propter justitiam &c.* Hinc etiam II. accipitur justitia pro caritate; quia caritas vinculum perfectionis, & plenitudo legis est, & consequenter omnium virtutum complexum quodammodo continet, ac voluntatem toti legi conformem reddit. Unde D. Augustinus *Lib. de natura & grat. c. ult. Caritas inchoata inchoata justitia est, caritas magna magna justitia est, caritas perfecta perfecta justitia est*; siquidem in lege caritatis ex oraculo divino lex universa pendet, ac vel una deficiente caritas perfecta non est. III. Denique sumitur justitia pro una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, quas inter haud dubiè post prudentiam, quatenus hæc virtus moralis non intellectualis est, primum tenet. Ex quibus liquet, primam & secundam acceptionem in effectu coincidere; quæ verò ratione in tertia acceptione à prioribus differat, & quæ acceptio huic loco propria sit, colligere poteris ex sequentibus assertionibus.

Definitio Justitiæ.

Asertio I. Justitia, de qua hic sermo, rectè definitur, quòd sit con-88
stans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Ita Justinianus *pr. J. de J. & J.* & Ulpianus *Jctus L. 10. pr. ff. eod.* consentit Aristoteles cum Philosophis, & D. Thomas cum Theologis. Dicitur autem I. *constans & perpetua voluntas*: per quæ verba convenit justitia cum aliis virtutibus voluntatis; debet enim justitia esse actus vel habitus voluntatis, & quidem actus voluntarius & liber, utpote actus moralis; debet etiam esse constans & perpetua; neque enim, qui simpliciter justè seu justa agit, justus est, sed qui id facit firmo seu destinato animi proposito, semper ita agendi, ut docet Philosophus *Lib. 5. Ethic. cap. 1.* adeoque sicut contritio debet esse actus non peccandi de cætero, ita justitia debet esse voluntas perpetuo justè agendi; & sicut obediens simpliciter dici non posset, qui obedire vellet in uno, non verò in altero, pro hoc non verò pro omni tempore; sic neque justus dici posset, qui alteri jus suum tribuere vellet in uno vel altero, pro hoc vel pro illo tempore, non verò in omnibus, & pro omni tempore. Atque in hoc sensu neutquam malè sensere Stoici, à quibus eruditi fuere Jcti, ut innuit Pomponius *L. 2. §. 40. ff. de O. J.* dum virtutem constantiam, vitium inconstantiam

stantiam dixere, benèque scripsit Cicero *Lib. 1. de LL. constans & perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itémque inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur.* Dicitur II. *Jus suum cuique tribuendi*: quibus verbis indicatur objectum proprium justitiæ, per quod justitia differt ab aliis virtutibus, scilicet, tribuere unicuique jus suum, tribuere inquam, vel reparando læsum, si reparabile sit, vel conservando, seu non lædendo, si adhuc sit integrum. Dicitur III. *cuique*, intellige alteri; nam justitia est ad alterum, ut omnes tenent, & probat S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 1. in C. & q. 58. art. 2. in C. nemo enim potest sibi ipsi inferre injuriam, aut reddere debitum; cum non possit sibi ipsi propriè debere, eo quod nihil possit facere, nisi sciens & volens; scienti autem & volenti non possit fieri injuria. C. 27. L. 145. ff. de R. J. Hoc enim præ cæteris virtutibus habet justitia, ut suum cuique largiatur, ac distribuatur, & ad alterius commodum continuò referatur, alienisque bonis prospiciat. Unde virtus omnium perfectissima & optima Nov. 69. præf. Hespero Luciferoque admirabilior dicitur. Aristoteles C. 1. cit. verum plura ex his paulò post declarabuntur pluribus.

- 89 Non possum enim hinc præterire ineptias eorum, qui cum Hotomano de J. & J. enuntiat. 1. ejusque assæctis in definitione Jcti & Ulpiani legendum putant, *voluntas tribuens*, non verò *voluntas tribuendi*, aut saltem utramque lectionem retineri posse contendunt, eò quòd Cicero Oratorum Princeps *Lib. 2. de invent. Rbetor. Lib. 5. de fin.* ac alibi sæpius descriptionem justitiæ non per gerundium sed participium præsentis efferat: ut enim taceam Ciceronem *loc. cit.* idem cum Ulpiano sensisse, vel more vulgari plenius elocutum, nec cum Logicis, apud quos verba in definitione posita potentiam non actum, actum primum non secundum denotant, locutum fuisse. Et nunquid, qui justitiam colit, non semper ipso actu alteri jus suum tribuit, sed potentia, quoties datur occasio; siquidem & Geometra dicitur, licet non semper metiatur. Non equidem diffiteor, vocabularia & parvi momenti est hæc disceptatio, in ea tamen Jcto, non tam illud, quod Cicero scriptum reliquit, quàm quod Justinianus & Ulpianus, sanioresque Interpretes statuerunt, spectari probarique convenit. In re philosophica versamur hinc, ita est, at non æqualem, aut majorem etiam Philosophiæ rationem habuisse Jctos nostros, quàm Cicero in suis scriptis habuerit; hoc enim verò asserere jus Digestorum vetat. Videatur præter alias L. 1. pr. & §. 2. ff. de dol. mal. Dabo tamen Juris nostri Conditores non semper omnia Philosophorum more minutius & scrupulosius scrutatos esse, num idcirco in jure horum auctoritas plus valebit quàm illorum? Si afferas, exemplo vel dupondiis notissimo confutaberis: homo Philosophò est species, Petrus individuum: at Jctus hominem genus, Petrum speciem esse perhibet. Utrius auctoritas apud te prævalebit? piget profecto in re ad eò levi diutiùs immorari. Ad hæc, ad illud quid dices? quòd ipsi Jcti auctoritatem Ciceronis non ubique admittant, ut vel ex sola L. 7. §. 4. ff. quibus ex caus. in poss. eatur. Manifestum est, ibi enim inquit Ulpianus: *quid sit autem latitare, videamus; latitare est, non, ut Cicero definit, turpis occultatio sui, potest enim quis latitare non turpi de causa, veluti, qui tyranni crudelitatem timet; aut vim hostium, aut domesticas seditiones &c.* En! rejicitur auctoritas Ciceronis in re ad Grammaticos pertinente, & quidni? non enim Orationes Ciceronis, sed responsa Jctorum, quæ non raro etiam philosophica continent, pro jure observari Justinianus voluit.

Divisio Justitiæ in Universalem & Particularem.

A Ssertio II. Justitia supra definita ad mentem Aristotelis Lib. 5. *Ethic.* 90 C. 1. art. 2. & c. 2. art. 1. benè dividitur in universalem & Particularem. Universalis justitia est constans & perpetua voluntas jus suum, ex causa universali debitum, tribuendi Communitati seu Reipublicæ; Particularis verò est constans & perpetua voluntas, jus suum, ex causa particulari debitum, cuique tribuendi. Dicitur autem in priore: *ex causa universali debitum*; cum enim cives, dum ad civitatem recipiuntur, tacite adpromittant, se utilia Reipublicæ membra ac cives bonos futuros, bonumque commune præ suo semper promoturos, simul tacite se obligant, se legum omnium in tali civitate vigentium observantiam, quin & actus bonos nulla lege præscriptos, hunc in finem directuros esse, causa hæc, uti & jus ex illa resultans, ipsaque justitia, quæ jus hoc communitatis tanquam objectum suum respicit, universalis dicitur, utpote, quæ pro fine suo habet bonum universitatis, idque universim, atque in actionibus suis bonis omnibus intendit, omnesque virtutum omnium actiones ad hunc finem obtinendum dirigit, aut saltem firmo animi proposito dirigere constituit. Neque enim civi bono satis esse potest, leges in Republica vigentes observare, aut eas etiam virtutes, quæ consilii tantum sunt, exercere, nisi his omnibus ad bonum commune Reipublicæ collimet: bonus siquidem civis dici non potest, qui virtutum opera exercet, nulla habita ratione prosperitatis publicæ, atque adeo, qui remoto bono privato, non moveretur felicitate publica ad functiones virtutum exercendas. Non alia igitur justitia bonum civem efficere poterit, nisi quæ universalis fuerit, ac omnes omnium virtutum actiones contineat, easque non modò universas, sed & singulas in bonum publicum dirigat. Ut adeò rectissime de justitia hac post Theognidem dixerit Aristoteles C. 1. art. 2. *cit. Justitia in se virtutes complectitur omnes.* Quòd si ergo cives hoc suo in officio deficient, contra pactum illud tacitum, haud dubiè à Republica probatum veniunt, nec à culpa immunes forent, si actum aliquem æquè ponerent, sive à Republica præceptus sive prohibitus, sive illi proficius sive noxius futurus esset.

Et quidem actiones legibus in Republica vigentibus conformes quod attinet, sive deinde hæc leges naturales, sive divinæ sive humanæ fuerint, sive officium hominis erga Deum, sive erga proximum, sive erga seipsum concernant, eas Republica à membris suis omnibus vi pacti hujus absolute exoptulat; remove enim è civitate divini Numinis cultum, & vinculum humanæ conjunctionis sustulisti, citra quod tamen nulla unquam Republica illæsa stetit: Fidem ac officium hominis erga Deum tolle, moxque felicissimam prius Rempublicam in nefandum scelerum omnium chaos tetra metamorphosi mutatam videbis. Nunquam tranquilla floreat, sed bellis intestinis scissa sordebit Republica, si cives in officio erga proximum deficient, si inflati superbia sibi invicem humanitatis officia denegent, si invidia aut avaritia excoecati, famam aliorum impetant, bonis alienis contra jus fâsque inhient, datamque ac juratam etiam in pactis fidem sacrilegè violent: nec Deo autem, nec proximo, & consequenter nec juri civitatis satisficient cives, si officium erga se ipsos neglexerint: Actum est de felicitate Reipublicæ, nisi cives mansuetos, temperantes, fortes &c. habeat; iracundus enim facilè in rixas, intemperans in scelera omnia proruet, à pusillanimitate verò, quod speret, non habet Republica, parum etiam ab illo cive sperare poterit, qui discretam

*

N

sui

sui conservationem penitus negligit. Summo igitur jure à civibus suis, & quidem absolute expetit, ut inprimis Deo, tum verò sibi ipsis ac proximo officium, à legibus præscriptum, exhibeant, hisque publicant felicitatem pro viribus promoveant.

92 Eundem quidem in finem illas etiam actiones honestas dirigi cupit Respublica, quas cives nulla lege jubente ponunt, quæque meri consilii non verò præcepti sunt, quas inter illa eminent, quæ consiliis Evangelicis congruunt, nimirum paupertas, castitas, & obedientia; nam etsi ad eas cives suos absolute non obliget, jure tamen ab illis exigit, ut, si præcelso adeò spiritu agitentur, nec legibus cum plebe contenti consilia sequi statuant, in his etiam illustribus adeò factis suis prosperitatem publicam respiciant, si, ut promisere, boni cives esse velint: ut vel inde manifestum est, quòd nec vota de sequendis consiliis Evangelicis stringere possint civem, ubi evidens Reipublicæ necessitas aut utilitas aliud expeteret; sic ex doctrina Sanchezii *Lib. 2. de matr. disp. 3. n. 4.* Clerici etiam & Religiosi per votum solenne castitatis ad coelibatum adstricti saltem, aliqui ac aliquamdiu matrimonio vacare teneuntur, si contingeret, ut Laici omnes morerentur; quia obligatio de propaganda & conservanda Respublica prævalet obligationi de servanda castitate, bonumque commune temporale, si evidens fuerit, bono publico etiam spirituali præponderat. Ex hac ipsa etiam causa boni publici teneretur filius Principis, non obstante voto & solenni Professione, familiam per matrimonium propagare, si aliàs bella & seditiones timendæ forent, & vel maximè, si orthodoxa Religio periclitaretur. Nunquam certè convenientem assignabis rationem, cur post vota & Professionem solennem Casimirus Rex Poloniae, Ramirus Rex Arragonum, Constantia Regis Siciliae filia, pluresque alii non validè tantum, sed & licitè ad matrimonium convolarint? nisi ad bonum publicum pactumque illud cum Republica tacitè initum nobiscum confugas; si enim dispensationem Pontificis alleges; ipsius Pontificis Romani oraculis sæpius repetitis confutaris; siquidem Potestatem dispensandi in lege divina aut naturali, ad quam haud dubiè pertinet obligatio voti, Ecclesiae orthodoxæ competere negant ipsimet Pontifices, Urbanus *can. 6. caus. 25. q. 1.* Zosimus *can. 7.* Marcellinus *can. 8.* Hormisda *can. 9. ibid.* ac denique Innocentius III. *c. 13. de restit. spol.* non alia certè ex ratione, nisi quod inferioris non sit, legem superioris tollere vel mutare, aut in ea etiam dispensare. *Clem. 2. pr. de Elect.* non dispensandi in votis, si propriè loqui velimus, sed declarandi duntaxat potestas Christi in terris Vicario concessa est, an ea in his vel illis circumstantiis urgeat Reipublicæ necessitas vel utilitas, ut etiam voto solenni prævalere possit, hinc in dubio, aut ubi res moram patitur, ad illum necessariò recurrendum; neque enim bono publico conveniret si quilibet utilitatem aut necessitatem Reipublicæ proprio ex affectu metiretur. Quod si declarationem hujusmodi dispensationem minus propriam vocare placeat, nullatenus reluctabor, modò mecum fatearis, in amplectendis etiam consiliis civi bono ad bonum Reipublicæ, & consequenter ad pactum cum illa initum respiciendum esse.

93 Quòd si autem hoc pactum non capias, paucis, adverte, docebo, Membra omnia, Reipublicæ pacto tacito, in receptione inito, obstricta esse assero, ut bonum ejus commune in omnibus procurent, idque sequentibus ex rationibus asseveranter contendo. I. Ipsa Respublica vi pacti taciti in receptione initi, tenetur cives suos regere, custodire, & defendere, ne contra jus in bonis famæ, corporis, & fortunæ lædantur,
ut

ut nemo facilè negaverit; hinc si dolo, malitia aut negligentia peccaminosa contra pactum hoc venerit, tenetur læso ad compensationem damni, atque ad hoc ipsum pacto tacito obligat Principes, Administratores & Judices *arg. L. 15. §. 1. ff. de jud. L. fin. C. de pen. jud. Novell. 129. c. 2. & Auth. novo jure C. cit. tit.* ergo etiam pacto tacito cives suos in receptione obligat, ut sibi jus suum tribuant bonum commune procurent, inò etiam bono suo privato præferant: hoc enim ex rei natura ordinatur ad illud; civis siquidem bonus est propter rempublicam, non verò respublica propter civem bonum. Hinc respublica suum præcipuè in commodum cupit habere cives bonos: ut adeò non minor sed major potius debeat esse obligatio civis in Rempublicam, quàm reipublicæ in civem; minor autem haud dubiè foret obligatio civis in rempublicam, si pactum illud tacitum deficeret, si jure alio quàm proprietatis illi obligaretur. II. Ex recepta & satis certa sententia subditi tenentur ex jure proprietatis, quod habet respublica, solvere exactiones & tributa ad conservandam rempublicam necessaria; saltem si de eorum justitia constet; adeoque casu, quo rempublicam iis in summa notabili defraudarent, graviter peccarent, atque sub gravi ad restitutionem obligarentur, ut pluribus probat Lessius *Lib. 2. de l. & l. cap. 33. dub. 8.* nullus autem apparet titulus, in quo fundetur jus hoc proprietatis reipublicæ ad exactiones & tributa, nisi pactum tacitum in receptione à civibus initum; in quo tamen non aliter ad illa se obligarunt, quàm ad alia, quæ boni civis officium exigit. Ergo si respublica tributa justa exigere potest jure proprietatis & vi pacti taciti, eodem ex pacto, ac eodem jure obstrictos sibi habebit cives quo ad reliqua, ad quæ reipublicæ obligantur. III. Justitia universalis non subditis tantum sed etiam Principi communis est, eundemque in capite ac membris finem spectat nimirum felicitatem reipublicæ, ut paulò post dicetur; igitur si Princeps ex pacto tacito eam procurare tenetur, simili ex pacto etiam cives tenebuntur, atqui Princeps administrator aut Judex ex pacto tacito communitati obligatur, ut actiones suas in bonum publicum dirigat, legi naturali & Divinæ eas super addat leges, quas bono publico congruere viderit, subditis juxta leges jus dicat, benè meritis præmia, delictis pœnas proportionatas statuatur, officia communia secundum proportionem meritorum distribuat &c. ut de ultimo hoc communissima inter Theologos & Ictos habet sententia; videatur Molina *tr. 1. disp. 12. vers. illud etiam.* Lessius *lib. 1. de l. & l. cap. 1. dub. 3. n. 8.* adeoque ex doctrinæ consequentia idem de prioribus sentire debent, cum aliud fundamentum pro pacto tacito quo ad distributionem munerum habere non possint, quàm pro prioribus illis habeatur: ergo idem dicendum est de civibus, quòdque inde per se fluit fatendum, justitiam universalem; de qua hic sermo, in pacto tacito ac jure proprietatis reipublicæ fundari.

Neque hoc mirum cuiquam videbitur, modò ad justitiam hominis erga Deum respicere velit; nam etsi & hæc justitia universalis suo modo dici possit; omnesque virtutes complectatur, ac universim Dei gloriam intendat; Dei tamen jus proprietatis respicit, eique jus rigorosum tribuit; cum enim Deus jus proprietatis in omnes actiones possibiles habeat, omnino præsumendum, Eum, dum hominem ad promovendam suam gloriam obstringit, actiones omnes ad finem hunc aptas, jure etiam proprietatis non solum jurisdictionis (si tamen in Deo differant de quo vide in *sect. 1. §. 1.*) exigere, & absolutè quidem eas, quæ legibus substant; illas verò, quæ consilii tantum sunt saltem conditionatè, nimirum, si homo altiore actus spiritu eas ponat; posita enim hac conditione, etiam hujusmodi

modi actiones spontaneæ Deo, qui jus rigorosum in omnes actiones possibili-
les habet, debitæ sunt. Et sanè si respublica jure à cive bono exigit, ut
etiam per actiones nulla lege præceptas bonum publicum procurare stu-
deat, jure longè majore Deus exigit, ut per similes actiones creatura,
quæ essentialiter Dei serva, illique plenissimè subjecta est, gloriam ejus pro
viribus promovere conetur, sicque fini creationis, juriq; proprietatis
Dei meliori modo satisfaciatur.

Respondetur ad opposita.

95 **P**Lura tamen, ut suspicor, sunt quæ tibi in dictis hucusque displicent;
nam I. justitiam hominis erga Deum perfectam esse justitiam negas,
quia per illam, ut ais, jus divinum adæquari non potest. ut docet S. Tho-
mas 2. 2. q. 57. art. 1. ad 3. sed veniam spero à S. Doctore, si debita cum
veneratione in oppositam declinem sententiam; si enim servus puer jus
proprietatis, quod habet Dominus ad operas ejus, plenè adæquare dicitur
modò eas præstet operas, quæ ipsi pro sua conditione possibles sunt, et-
si plures & præstantiores à patre viro robusto ac artifice exigere possit; si civis
infimæ sortis ad æqualitatem jus suum tribuit cõmunitati, modò pro posse
bonum ejus publicum promovere allaboret, quamvis à cive altioris ordi-
nis, & vel maximè à Principe aut administratore longè majora exoptulet;
quia nimirum uterque facit, ad quæ hinc & nunc obligatur, difficulter assig-
nabitur ratio, cur homo, qui totis viribus & quantum hinc & nunc ipsi
possibile est, Dei gloriam promovere conatur, jus proprietatis Ejus non
adæquet; nam licet ab homine majoribus gratiis prævento ab Angelo
&c. excellentiores, à Theandro verò etiam actus infiniti valoris vi juris
proprietatis, quod habet in omnes actiones possibles, jure meritissimo
expetat, à nullo tamen homine plus exigere potest aut exigit, quàm
quantum hinc & nunc præstare potest; cum enim jus proprietatis Dei
ad possibles actiones duntaxat se extendat, plures autè & præstantiores actus
respectu talis hominis sint impossibiles saltem pro nunc, jus proprietatis Dei
ad illos se non extendet: & consequenter dum homo lumini naturali aut
etiam supernaturali totis viribus cooperatur, Deo jus proprietatis ad
æqualitatem tribuit, ac obligationem suam seu jus passivum, in quo
fundatur jus activum Dei plenè extinguit; neque enim jus activum
proximum majus esse potest in creditore, quàm sit aut esse possit jus pas-
sivum proximum in debitore: poterit igitur homo propriam
omnino perfectamque Deo exhibere justitiam, quamvis, quod humanæ
fragilitatis summa est miseria, id rarò aut vix unquam præstemus.

96 **I**nfinitem est hoc jus divinum, non abnuo, adeoque exigere potest
actus præstantiores & præstantiores in infinitum, non tot quin plures,
hoc ipso tamen, quòd in actus solum possibles tendat, conditiona-
tum est, nec alios ab homine exigere potest nisi qui ipsi possibles sunt,
ferè sicut respublica vi juris, quod habet in cives, ut ea omnia præstent,
quæ ad bonum commune necessaria sunt, plus ab illis petere non potest
quàm ipsi præstare valeant. Quòd si ideò jus Dei adæquari neges,
quia jus Dei post talem actum manet illibatam, nec per illum imminui-
tur, potestque Deus vi illius iterato ad hunc ipsum actum v. g. Religio-
nis ac alios quoscunque obligare, contra communem ferè omnium fa-
teri cogerie neque servum præstando operas ad mentem domini exactissi-
mas, nec civem reipublicæ, officio suo gnaviter fungendo, jus ad æqua-
litatem tribuere, quin imò nec dominum prædii servientis, nec censi-
tam

tam solvendo promissum censum jus alterius adæquare; quia titulus servitutis, censûs &c. manet intactus, neque per actus hujusmodi absumitur. Et nunquid si alterum in usu juris sui non impedio, ad quod me jure obstrictum tenet, jus illi ad æqualitatem tribuo, quia aliud à me exigere non potest; & tamen hoc jus ipsius nec minuitur, nec absumitur, etsi integro vitæ decursu obligationi meæ satisfaciam: igitur etiam servando, ut decet, præcepta negativa Dei, jus Ejus hac in parte adæquo, quia per illa aliud non expetit, quam ut actus prohibitos omittam.

Verùm, ut liberalior sim, dabo, nec in justitia hominis erga Deum⁹⁷ neque in reliquis hic allatis æqualitatem inter præstationem rei debitæ & jus activum inveniri, hoc tamen ex capite à vera perfectâque justitia excludi non possent; sic enim arguo: vera & propriè dicta justitia per se & formaliter non intendit æqualitatem talem inter jus activum & passivum, quam sententia opposita exigere videtur, sed solum petit, ut actio debita ponatur ex motivo juris activi, quod alter habet; aliàs, si ex motivo juris alieni ponerem actionem debitam, abstrahendo ab hac æqualitate non exercerem actum veræ justitiæ, & multò minùs, si ex hoc ipso motivo solverem partem tantùm debiti, casu, quo facultates meæ non sufficerent ad expungendum totum debitum; atqui si vera justitia solum petit, ut actio debita ponatur ex motivo juris activi, quod alter habet, æqualitatem verò inter jus activum & passivum per se saltem & formaliter non intendit, potest per se haberi actus veræ & perfectæ justitiæ, quin intendatur, aut etiam habeatur hæc æqualitas: ergo etiam dato, in justitia hominis erga Deum ac reliquis suprâ allatis non haberi æqualitatem inter jus activum & passivum, nihilominus erunt actus perfectæ justitiæ. Dixi dato non concesso, quia etsi justitia etiam perfecta per se & formaliter non intendat æqualitatem; non enim ideò exerceo actum justitiæ, quia adæquo jus alterius, sed quia ex motivo juris, quod alter habet, pono actionem, quam jus illud respicit; nihilominus tamen censeo, exercitio justitiæ semper succedere æqualitatem inter jus activum & passivum proximum, quod sufficit ad hoc, ut dici simpliciter possit jus alterius adæquari, cum jus remotum pro hic & nunc nondum urgeat. Hinc etsi promiserim Calendis Julii solvere mille florenos, si tamen non habeam, nec habere possim, nisi quingentos, juri alterius pro nunc adæquatè satisfacio; modò quod restat, quamprimum potero, solvere velim; obligatio enim faciendæ solutionis conditionata fuit, si mihi futura sit possibilis; adeoque si ex parte fiat impossibilis, jus activum & passivum, quod priùs erat unum & indivisibile, in plura dividetur, sicque ad partes debiti divisibiliter solvendas obligabit.

II. Æquè parùm, ut opinor probabis tacitum illud & reciprocum⁹⁸ pactum civis cum republica; neque enim, ut tu quidem asseris, jus illud quare publica cives suos obstrictos tenet ad bonum publicum procurandum, in pacto fundatur, sed in nexu politico, quo civis jungitur cum republica tanquam corpore politico; neque etiam jus hoc rigorosum aut proprietatis dici potest; tum quia jus proprietatis duo requirit subjecta adæquatè distincta, quorum unum vices debitoris, alterum creditoris sustineat; civis autem quæ talis inadæquatè est ipsa communitas; tum quia jus in cives communitati non competit titulo proprietatis, sed jurisdictionis, neque continetur numero illorum jurium, ex quorum violatione damnum & jactura & consequenter obligatio restituendi confurgit, tum denique quia jus proprietatis non est, quod liberæ creditoris dispositioni non subjacet, tale autem est jus, quod republica habet in cives, neque enim ab illa remitti

ti potest; cum manente nexu politico inter membra & totum maneat fundamentum juris & obligationis. Quæ omnia eò ponderosiora tibi videbuntur, quòd communi auctorum suffragio nitantur, ut videre est apud Lessium *de I. & I. lib. 1. c. 1. dub. 3.* Castropalao *disp. un punct. 8.* Cardinalem de Lugo *de I. & I. disp. 1. sect. 4.* ac alios passim.

99 Verum quàm communia hæc asserta tam incerta, ac solida ratione destituta sunt. Radix juris, qua communitas cives obstrictos habet, est nexus ille politicus, quo omnes unum in corpus coaluere; ita est; ex hoc tamen nullatenus inferre licet: igitur cives jure solum minus rigoroso reipublicæ bonum promovere tenentur; nisi prius probetur, nexum hunc politicum minus perfectum esse; quod vix præstabitur, si finem hujus nexûs attendamus; siquidem finis nexûs hujus politici felicitas reipublicæ est: igitur quò firmior erit & strictior, eò major speranda erit reipublicæ prosperitas; eò perfectior verò arctiorque erit hic nexus, quo strictiore jure cives reipublicæ devinciet; strictius autem eos devinciet, si ex pacto ac jure rigoroso obliget: ergo si ad nexum hunc politicum ejusque finem, ut decet, respiciamus, potius dicendum, cives reipublicæ jure rigoroso obstringi, quod, nisi vehementer halluciner, ex supra dictis abunde liquet; si enim cives in receptione sua tacite promisere, se reipublicæ felicitatem pro viribus promoturos, ac boni civis officium gnaviter impleturos esse, ex pacto tacito pro muneris hujus ratione id præstare tenentur, haud secus, servata tamen proportione, ac Princeps, administrator, Judex, aliique officiales, quibus ex officio incumbit boni publici conservatio; aliàs neque ad tributa, utut justa, ex jure proprietatis obligarentur, neque communitas jure rigoroso obstringeretur, ut eos ab omni violentia & injuria immunes præstaret. Quod bono publico certè non convenit.

100 Quæ præterea adduntur postulata sunt nunquam probanda, & primum illud, quod jus proprietatis duo subjecta adæquatè distincta requirat, vel ex tributis cæterisque hic strictim repetitis convellitur; quin & ex obvio statuto, quo cavetur, ne bona communia aliter, quàm cum consensu communitatis, nec in alium quàm in civem alienentur, manifestæ falsitatis arguitur: hoc enim casu inter communitatem & civem quàm talem exemptione & venditione jus proprietatis confurgeret, quamvis civis emptor inadæquatè venditor foret.

101 Minus adhuc valet alterum illud. Siquidem etiam titulus jurisdictionis jus rigorosum & strictè dictum imbibit, ut clarum fiet, si jus proprietatis & jurisdictionis, quod reipublicæ competit, penitus inspiciamus; jus enim hoc proprietatis aliud non est, quàm jus domini, quod obtinet communitas in bona ac jura quædam publica, quibus tanquam suis utitur ad felicitatem publicam, quemadmodum privati rebus suis utuntur ad felicitatem privatam, jus verò jurisdictionis est jus domini alti & eminentis, quod obtinet reipublica in personas & bona civiû, ac vi cujus disponit non modò de personis, sed etiam de bonis civium, prout exigit necessitas vel utilitas reipublicæ. Etsi autem ultrò concedam, justitiam universalem prius illud jus non respicere, quia vi illius cives, nisi ipsis administratio talium bonorum incumbat, aliam obligationem non subeunt, quàm quivis extraneus, nimirum ne reipublicam his in bonis lædant. Posterius tamen ac jus jurisdictionis, quod ortum suum habet ex nexu illo politico, quo civis reipublicæ jungitur, à justitia hac attingi assero, quod vel ex ipsa definitione supra tradita, liquere posset; sicut enim jure hoc suo non aliò tendit reipublica, quàm ut cives ad normam præscriptam bonum publicum procurent, quin etiam si opus fuerit, bona ac personas suas hunc
in

in finem consecrent, ita etiam cives hoc jus ei tribuendo non alio collimant, quam ut felicitatem publicam promoveant, quod ipsum in conceptu suo formalissimè dicitur justitia universalis. Si verò justitia universalis pro objecto habet jus jurisdictionis reipublicæ; jus rigorosum respicit; respublica enim habet verum & rigorosum jus ad conservationem sui, ac ad ea omnia sine quibus in communitate publica emergere non posset felix status rerum: ergo dum à civibus exigit, ut bonum hoc publicum promoveant, officium hominis & boni civis erga Deum, proximum, ac se ipsos impleant, id jure rigoroso, quod habet ad sui conservationem, exoptulat: neque enim vi hujus juris cives duntaxat obligat, ne ab usu & exercitio illius se impediunt, prout quemlibet exterum obstrictum habet, sed etiam ut positive pro officii & muneris sui ratione concurrant, exequendo imperata, ex fine in receptione illis præfixo; hoc autem sine pacto illo tacito nunquam explicabitur.

Si dicas cum Gibalino *de scient. Canon. lib. 3. cap. 1. n. 24.* Cur igitur ex recepta inter Doctores sententia ad restitutionem non obligor, si damnum passa est communitas propter non præstitam actionem, mihi imperatam, ad quam tunc tenebar ut membrum illius ex justitia universalis. Tibi ipsi cum auctore citato contradicis, nisi contra communem ferè opinionem negare velis, administratorem ac dispensatorem officiorum publicorum ad restitutionem obligari reipublicæ, si ex injusta munerum horum distributione damnum patiatur communitas; cum non appareat, quare hic ad compensationem obligetur, non verò cives, qui ad frumentum publicum excubare jussi, socordia & culpa sua lata illud prædonibus diripiendum concedunt; qui tamen ipsissimus videtur Gibalini casus; cives enim isti solum omitterent actionem ex justitia universalis debitam. Quare salvo tot Doctorem judicio, censeo etiam ex violatione justitiæ universalis obligationem restitutionis consurgere, non tamen aliam quam natura violationis admittit, vel ipsa respublica petit; & quidem si respublica damnum patiatur in temporalibus, seu bonis externis, damnumque hoc eveniat, quod cives munere sibi commissio non ritè fungantur, actionem in specie imperatam omittant, aut debita diligentia non præstent, non solum natura violationis admittit, sed etiam respublica exigit restitutionem propriè dictam, ut de officialibus fatentur cum Lessio *lib. 2. cap. 2. dub. 3. n. 16.* plerique omnes, de civibus verò, quibus certa aliqua actio à legitimo Principe aut Magistratu imperata fuit, à paritate rationis evincitur, videturque patere in exemplo hic allato. Idem dicendum reor, si cives per culpam saltem latam etiam extra officium specialiter commissam, tali damno causam dedissent. Enimverò si quilibet civis alteri ad restitutionem tenetur & quidem ante sententiam, si culpa theologica gravi, imò, ut habet probabilior, si culpa theologica veniali cum advertentia ad gravitatem materiale illi damnum intulit, æquissimum omnino videtur, abstrahendo etiam à plebiscito legis Aquilæ, actione noxali & quadrupedaria, ut civis reipublicæ damnum, culpa lata datum, compensare tenetur; tum quia culpæ latæ plerumque conjuncta est culpa theologica, tum quia major haud dubiè est obligatio, qua civis reipublicæ, quam alteri cuicumque obstringitur. Si verò sine damno in bonis temporalibus cives jus reipublicæ violent, quod officium boni civis non impleant, pacem turbent &c. damnum ita datum sufficienter compensant restitutione minus propria, solvendo nimirum pœnam exactam, aut exactione cessante, emendatione delicti, ac tollendo, quod fortè dedere, scandalum; neque

neque enim natura talis damni aliam admittit restitutionem, nec aliam re-
publica expostulat.

103 Porro obligari civem ad compensandum damnum, culpa lata, etiam
extra officium aut actionem specialiter imperatam, reipublicæ datum, &
quidem ante omnem sententiam, etiam si culpa hæc lata merè juridica fue-
rit, nec theologiam adjunctam habeat, ex pacto illo tacito, quo in re-
ceptione sua cives se reipublicæ devinxere, satis convincenter probatur,
si enim, ut dixi, *tr. de pactis cap. 6. n. 16. & seqq.* in omni pacto & contra-
ctu ante sententiam præstanda est culpa lata, etiam merè juridica, etiam
ex hoc pacto cum republica præstanda veniet. Quod si necdum satis pro-
batum putes hoc pactum, sic ulterius insto. Nisi admittatur cives in recep-
tione sua pacto se tacito reipublicæ obstringere, hoc est tacite promittere,
se boni civis officium impleturos, ritè imperata sedulo facturos esse, aver-
tendo damna, & emolumenta pro viribus procurando, nunquam pro-
babitur, officiales reipublicæ tacito aliquo pacto devinctos esse; in civi-
tatem enim nemo nisi volens assumitur, ad munia verò publica sæpè cives
etiam nolentes & inviti compelluntur, sicque in assumptione ad officia uni-
versaliter pactum tacitum præsumi non potest: ergo si, ut habet unani-
mis Doctorum, officiales omnes reipublicæ ex pacto tacito tenentur, om-
nino dicendum, pactum illud tacitum in assumptione in civitatem potius
quàm in delatione munerum initum fuisse, siquidem jam tunc promisere
cives, se muneribus sibi à legitimo Magistratu conferendis, ritè, atque,
ut decet, functuros esse.

104 Denique omnium minimè jus hoc proprietatis, quo Communitas si-
bi cives obstrictos habet, evertere potest ultimum illud, quo idè jus com-
munitatis jus proprietatis esse negatur, quod liberæ creditoris dispositioni
non subjacet; uti enim *n. 93.* dixi, pactum hoc non unilaterale sed bila-
terale est, quia vicissim etiam ipsa Communitas civibus in receptione ta-
cite præter alia promittit, se ea ab omnibus civibus exacturam esse, quæ
bono publico congruere, ac necessaria fore judicaverit: igitur nisi omnes
omnino cives consentiant; obligationem hanc illis remittere non potest,
quamdiu in civitate manserint; quamdiu enim in civitate manent, tam-
diu pactum hoc cum communitate continuant, hinc mirum non est,
quod respublica contra illud venire non possit, quia ad usum hujus juris se
pacto obstrinxit. Et nunquid respublica civibus tributa, pro conserva-
tione sua simpliciter necessaria, remittere non potest? quia illa ex pacto
cum civibus inito exigere tenetur, & tamen etiam juxta adversarios com-
munitas ad tributa hæc exigenda jus rigorosum proprietatis habet. Ad
hæc etiam Deus homini remittere non potest obligationem, qua per actio-
nes suas Dei Gloriam promovere tenetur, quamvis illas jure proprietatis
imò Jurisdictionis exigere debeat, quia jus proprietatis & Jurisdictionis in Deo
nulla ratione differunt, ut dicitur *sect. 3. §. 1.* gratis igitur & sine sufficiente ra-
tione ad jus proprietatis requiritur, ut liberæ creditoris dispositioni subjaceat,
cum utique creditor etiam humanus libertatem hanc dispositionis sibi pacto
adimere possit, prout sibi Communitas ademit. Sicut autem Deo liberrimum
est, has potius quàm illas actiones ad finem illum exigere, ita etiam rei-
publicæ liberum est, has vel illas, æquè ad finem ipsius conducentes, ex-
petere. Quid? quod homo ab obligatione promovendi Divinam gloriam
simpliciter liberari non possit; civis verò, si jure civitatis cedat, à fine sibi
modò præfixo penitus liberetur, sicque magis adhuc liberum sit jus proprie-
tatis, quod in actiones civiū habet communitas, quàm jus proprietatis divini.

105 III. Plus adhuc fortè tibi displicebat, quod illas etiam actiones, quæ
nulli

nulli legi substant , sed meri consilii sunt , actus justitiæ , quibus non Deo tantum sed etiam communitati jus rigorosum tribuimus , appellemus. Quod enim inquires , ex justitia rigorosa tribuitur , debitum fuit : igitur : quod debitum non est , ex justitia rigorosa tribui non potest ; nam ut P. Luivius Turrrianus *de I. & I. disp. 1. dub. 2.* discurret : actus justitiæ rigorosæ solutio est debiti ; impossibilis autem est solutio debiti , ubi debitum non est ; atqui actus consiliorum debiti non sunt ; alias non consilii sed præcepti forent : ergò ex justitia rigorosa tribui non possunt. At ni vehementer halluciner , non nisi aërem tuo hoc cuneo impetis ; nam licet actus consilii , qui sub præceptum non cadunt , absolutè nec Deus ab homine , nec respublica à cive exigat , conditionatè tamen , si eos spontè sua ponere velint , non Deus modò , sed & respublica expetet , ut per illos finem sibi præfixum intendat. Hinc si actio aliqua nec promovendæ Dei gloriæ , nec procurando bono publicò apta sit , desinit esse consilii : quin etiam omnino prohibita evaderet , si exinde divina gloria aut reipublicæ felicitas diminuenda timeretur. Quare etsi nulla facta hypothesi ejusmodi actiones spontaneæ debitæ non sint , quia illas Deus aut respublica absolutè non præcipit , debitæ tamen evadunt , si illas homo vel civis ponere velit ; hac etenim conditione posita lege quadam universali & reflexa urgetur , ut etiam per has actiones divinam , non propriam gloriam , bonum publicum potius quàm privatum intendat. Igitur etsi demus justitiam rigorosam debitum supponere , nihilominus tamen etiam actus supererogatorii , qui consilii non præcepti esse dicuntur , actus justitiæ rigorosæ respectu Dei & Communitatis erunt.

Divisio Justitiæ Particularis in Commutativam & Distributivam.

A Sertio III. Justitia particularis n. 90. definita rectè ulterius cum Aristotele *lib. 5. Ethic cap. 2. art. 2.* dividitur in commutativam & distributivam. Particularis dicitur hæc Justitia tum quia jus suum non tribuit ex causa universali , atque ad omnes virtutum omnium actus excurrente , sed ex causa tantum particulari , quæ officio hominis erga proximum contenta ad officium ejus erga Deum ac erga se ipsum per se , ac vi solius juris , quod alter habet , non extenditur ; siquidem officio hominis erga proximum justitia particularis tam commutativa , quàm distributiva absolvitur ; tum quia nec bonum publicum universitatis saltem qua talis , sed particulare duntaxat privatorum vel quasi talium immediatè & ultimatò etiam in bonum publicum universitatis cedit. Neque enim dum alia respublica alteri , quod pacto publico pepigit , præstat , aut dum civis pretium pro prædio ex bonis communibus sibi vendito , solvit , justitiam universalem sed particularem solùm exercet , cum non aliter communitati illi , cui jus suum tribuunt , ac cuilibet privato simili ex pacto obligentur : adeoque obligationi suæ ac juri talis communitatis satisfaciunt , quamvis à bono ejus publico penitus abstrahant ; imò licet pactum illud in ejus detrimentum redundaturum prævideant , modò , quod promissere , ex motivo juris , quod habet illa Communitas , fideliter impleant : talibus enim in pactis communitas non aliter ac quisvis alius privatus consideratur ,

Justitia particularis commutativa , quæ à commerciis & commutationibus nomen sortitur , est constans & perpetua voluntas jus suum rigorosum , ex causa particulari debitum , cuique tribuendi. Dicitur I. Jus

*

P

suum

suum rigorosum : hoc est tale, quod alter, cui jus hoc competit, in commodum proprium efficaciter exigere, alter verò, qui ad illud tribuendum obstringitur, id sine injuria propriè dicta negare illi non potest. Vocatur etiam Jus proprietatis, sive deinde sit Jus in re, nimirum dominium, pignus, possessio, vel servitus, sive jus ad rem vel etiam ad actionem aliquam aut ejus omissionem, seu quod alteri debetur ex contractu vel quasi contractu ex delicto vel quasi delicto; quo quis illi intulit injuriam aut damnum. jus autem hoc aliud esse non videtur, quàm vinculum quoddam morale constringens alios, ut hic homo cæteris præferatur, quo ad utilitatem talis rei vel actionis &c. propter peculiarem connexionem, quam res ad eum habet atque ordinatur; nam ly suum indicat quamdam unionem moralem rei cum persona illius, quæ suum dicit, unde & illa ipsi quodammodo devincta est, vel immediatè, si jus sit reale, vel mediatè, mediante scilicet persona, quæ vinculo hoc constringitur, si jus personale tantùm fuerit. Etsi verò juxta *L. 27. §. 2. ff. de aur. legat.* magis strictè illud tantùm suum dicatur, quod vindicari potest, propriè tamen etiam illud suum dicitur, quod conditione petitur *arg. L. 6. §. 6. ff. quæ in fraud. cred. L. 15. §. 5. ff. de re jud. L. 49. ff. de V. S. L. 15. ff. de R. I.* ibi: *qui actionem habet ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.* Dicitur II. *ex causa particulari debitum.* Nimirum ex pacto vel quasi tali voluntario aut involuntario ut loquitur Aristoteles *lib. 5. Ethic. c. 5.* respiciente bonum alterius particulare. Atque his verbis continetur differentia inter justitiam particularem commutativam, & inter justitiam universalem; qualis est justitia Dei erga hominem, ac civis erga rempublicam; nam & his Deo ac communitati jus rigorosum tribuitur, non tamen ex causa particulari sed universali, quæ omnes virtutum omnium actiones complectitur, sicque universim Dei gloriam ac bonum universitatis quæ talis, adeoque felicitatem publicam intendit: particularis verò Jus suum alteri debet, & tribuit ex causa particulari duntaxat, quæ unam eamque atomam virtutis speciem non excedit, jusque alteri tribuendo bonum illius privatum tantùm respicit, saltem immediatè, & quatenus ad Jus hoc alterius privati, ex pacto vel quasi tali quæsitum, solùm attendit; si enim tribuendo jus alteri ex causa privata debitum, etiam ad legem, qua illud tribuere jubetur, respiceret, ut necessarium omnino videtur, non modò actum Justitiæ particularis, sed etiam universalis exerceret; hac quippe ratione Deo quoque ac communitati & quidem formaliter jus suum tribueret: fallor enim, aut impossibile omnino est, ut quis in proximum formaliter justus sit, nisi id ex motivo legis justæ faciat, adeoque etiam Deo & reipublicæ jus suum tribuat; siquidem jus alterius ac titulus inde ortum habet, v. g. contractus, pactum &c. sine lege justa debitorem nec obligare, nec actum ejus honestum reddere valet; non enim ideo actus justus est; quia juri alterius, sed quia legi conformis est: imò creditor ex pacto vel contractu nullum jus acquireret, nisi pacto lex assisteret; lex quippe justa semper obligat etiam sine pacto, quamvis in materia justitiæ sæpius obliget mediante pacto; contra verò pactum nunquam obligat sine lege, ut dicitur *sect. 3. §. 1.*

108 Omisimus autem in definitione hac nostra verba illa: *ad æqualitatem*; nam etsi à plerisque omnibus in definitione Justitiæ commutativæ addantur, nobis tamen superflua visa sunt, ut hoc discursu evinci credimus. Qui actum Justitiæ commutativæ exercere cupit, debet ex motivo juris alieni, vel potius legis obligantis alteri jus suum tribuere; sed qui alteri jus suum tribuit, tantum illi tribuit, quantum illi prohiç & nunc debet; hoc

hoc enim nisi faceret, non tribueret illi jus suum; quia jus illius pro hîc & nunc ad plura se extenderet; imò nec justus esset; quia justus non est, qui non totum, quod pro hîc & nunc debet, illi tribuit; justitia namque est constans & perpetua voluntas jus suum tribuendi; talem autem voluntatem non habet, qui partem tantum illius, quod pro hîc & nunc debet tribuere cupit: si autem omnis is, qui alteri jus suum tribuit, tantum tribuit, quantum pro hîc & nunc debet, per verba *jus suum rigorosum* jam exprimitur illa æqualitas, quam Justitia commutativa requirit, & consequenter si denuo in definitione addantur, superflua omnino erunt. videantur dicta n. 95. & seqq. ex quibus patescit, eam duntaxat æqualitatem justitiam commutativam exigere, quæ pro hîc & nunc possibilis est; alias enim dicere deberemus, Justitiam Commutativam æqualitatem etiam impossibilem & Chymericam intendere.

Utrum autem justitia commutativa sicut essentialiter exigit jus ri- 109
gorosum alterius, ita etiam petat jus illud nondum esse extinctum? seu an justitia commutativa inclinare etiam possit ad debitum, sufficienti solutione jam prius extinctum, denuo solvendum? adeoque an iterata debiti ejusdem solutio possit esse actus Justitiæ commutativæ? disputant Theologi Cardinalis Pallavicinus *de Just. lib. 4. cap. 4.* secutus Turrianum *de Just. disp. 1. dub. 2.* negat: contra Cardinalis de Lugo *de I. & I. disp. 1. dub. incid. n. 24.* affirmat, atque huic opinioni, utpote probabiliori, merito subscribit Haunoldus *de I. & I. tom. 1. tr. 2. n. 81.* sic autem pro posteriore hac sententia argui posset. I. Potest creditor secundo remittere debitum jam semel remissum; hoc enim nihil est aliud, nisi iterum cedere Jure, quod acquisiverat, ac iterum se obligare ad non utendum illo Jure, & apponere secundum titulum ad reddendam sibi turpem actionem, exigendi illud debitum: ergo etiam debitor potest per secundam solutionem denuo obligare creditorem ad non exigendum illud debitum; æquè enim per secundam solutionem obligatur creditor ad non exigendum debitum, ac per secundam remissionem. Sed si debitor per secundam solutionem potest denuo obligare creditorem ad non exigendum illud debitum, potest per secundam solutionem impedire illud Jus, quod creditor aliquando habuit; idem enim videtur impedire per solutionem jus creditoris, & creditorem per solutionem obligare ad non exigendum debitum; impedire autem per solutionem jus creditoris est motivum formale Justitiæ commutativæ: poterit igitur secunda solutio esse actus justitiæ commutativæ. Non equidem diffiteor, secunda illa solutio est tantum radicalis & virtualis expunctio debiti, hoc tamè non obstante vera est solutio, adeoque verus actus justitiæ, quia se ipsa formaliter facit, ne debitum illud possit exigi, ut fateri coguntur adversarii in remissione illa secunda; hæc enim licet sit virtualis aut radicalis tantum remissio, vera tamen est remissio quia per se ipsam formaliter facit, ne debitum illud possit exigi, alias vera remissio non foret, qua quis à peccatis, jam semel remissis in sacramento poenitentiae absolveretur, nec vera remissio dici posset, qua quis injuriam sibi illatam iterum iterumque remitteret, prius autem illud contra sanioem theologiam, posterius contra sensum communem pug-
nare videtur.

II. Potest quis se ipsum obligare alteri, vel ab illo obligari secundo 110
ad id, ad quod jam antè erat obligatus v. g. repetita promissione aut iterata stipulatione; sic etiam, qui ex voto superiori debet obedientiam, potest iterum secundo voto se obligare aut à superiore obligari ad eandem

dem obedientiam; hoc enim nihil est aliud, quàm ponere secundum motivum ad reddendam turpem & illicitam inobedientiam: ergò etiam potest idem debitum secundò & iteratò solvere; siquidem non magis repugnat, solvi eum, qui non est ligatus, quàm ligari eum, qui non est solutus. Quin imò debitor solvendo iteratò debitum, ut nuper dixi, aliud non agit, quam creditorem secundò obligare, ne exigat debitum, seu secundum ponere motivum ad reddendam turpem & illicitam exactionem debiti; potest autem quis ad idem iteratò obligari, uti ex antecedente liquet. Jam sic: si non minùs per secundam solutionem quàm per primam creditor obligatur, ne ampliùs à debitore aliquid exigat, per unam æquè ac alteram illi Jus suum tribui potest; ideò enim per primam solutionem Jus suum illi tribuitur, atque actus justitiæ exercetur, quia per illam obstringitur, ne quidquam ampliùs à debitore exigat: hoc ipsum autem fieri potest per solutionem secundam: ergo. Neque vim hujus argumenti infringes, si dixeris, per solutionem primam creditori jus suum tribui, atque actum justitiæ exerceri, quia per illam inæqualitas reducitur ad æqualitatem, quod proprium justitiæ est; hoc autem fieri non posse per solutionem secundam, eò quòd hæc nullam inæqualitatem inveniatur, sicque quoad hoc nihil nisi actum agere possit: quia si secunda remissio & obligatio actum non agit, sed vera remissio, vera obligatio est, etiam secunda solutio debiti actum non aget, sed vera solutio debiti erit: ideò enim prima solutio inæqualitatem ad æqualitatem reducere dicitur, quia creditorem obligat, ne debitum ampliùs petat: atqui idem facit secunda solutio; non enim minùs peccaret creditor contra obligationem contractam ex solutione secunda, quàm contractam ex prima, si illa non obstante debitum exigeret; ut manifestum videtur ex remissione aut obligatione secunda; hæc enim non minùs ac prior illa stringit. Ergò licet radicalis aut virtualis duntaxat sit expunctio, vera tamen solutio, verusque actus justitiæ erit; quia per seipsam formaliter facit, ne debitum possit exigi, quod proprium est solutioni, quæ actus justitiæ est.

XII III. Si eidem obligationi non posset pluribus vicibus satisfieri ex Justitia commutativa, hoc inde proveniret; quia objectum hujus justitiæ est adæquatio Juris passivi cum activo, adeoque hæc virtus non posset plus imperare, quàm jus activum exigat; sed hæc ratio satis certò fallit: ergò. major est adversariorum; minor probatur exemplis: sic satisfactio Christi pro peccatis nostris fuit superabundans, majorémque continebat valorem, quàm fuerit debitum nostrum, juxta illud Prophetæ Regii *Psal. 129. v. 7. copiosa apud eum redemptio.* Et tamen illum excessum, quem supra mensuram debiti exhibebat, offerebat ut pretium, & ad extinguendum debitum humani generis: sic Zachæus dum *Luce 19.* dixit: *si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum,* excessum illum tripli nō ex mera liberalitate donabat, sed totum illud reddebat, hoc est dabat ad debitum illud præcedens extinguendum; quod enim redditur, involvit ordinem ad debitum. Sic pariter, qui ex Justitia tenetur alteri restituere famam, si id facit scriptò & ore tenus, utrumque potest facere ex justitiæ imperio, & tamen ad tam amplam restitutionem famæ non tenetur: qui tenetur ex justitia alteri alimenta præstare, non potest moraliter & humanitus ita satisfacere obligationi, quin plus faciat, quàm teneatur, & tamen totum quod præstat, ex affectu justitiæ procedit: si hæres obligetur legatario dare fundum aliquem indeterminatè, si det fundum optimum, operatur

tur ex justitia, nec tamen tenetur dare fundum optimum. Etsi igitur justitia commutativa debitum supponat, non tamen supponit illud nondum esse extinctum, potestque plus imperare, quam jus alterius exigit. Nec terrebis, si dicas: ergo pro debito unius oboli ex justitia solvi poterit aurum totius mundi; nisi enim magis solidum quid afferas, immenso etiam auri pondere à suscepta semel veritatis defensione virum cordatum non retrahes; nam si satisfactio Christi fuit valoris infiniti, ut melior habet Theologorum opinio, etiam excessus ille supra mensuram nostri debiti infinitum valorem habuit, & tamen ad extinguendum debitum fuit exhibitus.

Ne verò quæstionem hanc inanem speculationem credas, practicus ¹¹² pro Confirmatione adducendus est casus. Pone igitur Titium, quod primam solutionem non possit in judicio probare, ne vexetur ab adversario, ultrò secundam solutionem facere, & quidem intuitu præcedentis debiti in hoc jam casu, qui practicus omnino est, Titius, si solvat intuitu præcedentis debiti, verè solvit ex justitia, quin & dominium soluti transfert in creditorem, si hic in bona fide fuerit, eò quòd fortè ignoret, debitum jam priùs fuisse solutum, quod probatur: Titius in judicio de solutione interpellatus potest cum veritate allegare solam solutionem secundam, nil movendo de priore, ut nemo negaverit: igitur hæc solutio vera fuit solutio, non verò donatio aut nuda traditio sine animo transferendi dominium; aliàs de solutione interpellatus sine mendacio hanc secundam allegare non posset; neque enim donatio, neque traditio nuda sine animo transferendi dominium solutio debiti est. Fatendum igitur erit secundam etiam solutionem ejusdem debiti posse esse veram solutionem, actumque justitiæ commutativæ, non alia ex causa, quàm quia per se ipsam formaliter facit, ne debitum exigi possit, non minùs ac prima solutio. Atque hinc non posset Titius propter solutionem illam secundam occultam compensationem facere.

Justitia distributiva est constans & perpetua voluntas jus suum ¹¹³ minùs rigorosum ex causa particulari debitum, cuique tribuendi. Dicitur *I. jus suum minùs rigorosum*, hoc est tale, quod alter, cui jus hoc competit nec efficaciter, nec principaliter suum in commodum exigere valet, quòdque illi ab eo, qui jus hoc tribuere teneretur, sine injuria saltem propriè dicta negari potest. Tale jus ex Communi Doctorum habent membra communitatis digniora, præ minùs dignis ad bona communia ac officia publica &c. cum enim publicum reipublicæ bonum exigat, ut in elargiendis præmiis ex ærario publico, in distribuendis officiis &c. meritorum & capacitatis in civibus habeatur ratio, magisque meriti ac magis capaces minùs dignis præferantur, cives meritis aut capacitate digniores jus aliquod habent adversùs communitatem aut ejus administratorem, ne exteris, ne civibus minùs dignis postponantur. Jus autem illud civium quoad rempublicam & administratores minùs strictum est; tum quia jus hoc, quatenus in civibus est, aliud non videtur, quàm dignitas & aptitudo civium ad præmiū vel officium illud, propriè autem meum dicere aut efficaciter exigere non possum illa, ad quæ tantum idoneus sum: tum quia licet administrator civitati jure stricto obligetur, ad dispensandū hac ratione præmia ac munera in cives, non tamen civibus, quia ex pacto cum tertio jus rigorosum mihi non quæritur, ut dixi *tr. de pactis n. 18. § 44.* neque etiam hæc præmia aut munera à communitate aut administratore civibus dignioribus debentur principaliter in commodum ipsorum civium, sed reipublicæ, cujus felicitatem hæc obligatio unice respicit. Dicitur

citur II. *ex causa particulari debitum*, neque enim jus hoc civi debetur, quia civis, qui titulus omnibus communis est, sed quia civis dignior, quæ major dignitas uni aut pluribus tantum propria, adeoque particularis est; quamvis autem ex hac causa civis dignior jus strictum adversus communitatem ejusque Præsides non acquirat, sicque præmium aut officium nequeat exigere, sed precibus tantum agere, quin & dignitatem aut capacitatem suam commendare possit: adversus alios tamen jus rigorosum habet, ne in hoc jure suo per vim aut dolum lædatur, atque à consequendo præmio vel munere impediatur; adeoque si vi aut dolo spe sua dejectus fuisset, non quidem totius rei petitiæ, sed incerti damni æstimationem exigere posset, eo proportionaliter modo, quo is, cui, ne quid legaret testator, vi aut dolo impeditus fuit, damni æstimationem exigere potest; siquidem & spes lucri nostrum æstimatur, adeoque vi aut dolo illa dejecti ad æstimationem agere poterimus, hoc est, non ut illud ipsum, quod sperabamus, sed æstimationem spei probabilis, quanti scilicet illa fuerit, obtineamus L. 73. §. 1. ff. ad L. falcid. ut adeo respublica aut princeps distribuendo ad normam præscriptam præmia ac munera civibus dignioribus eatenus etiam jus rigorosum tribuere videatur, quatenus cavet, ne per vim & dolum ab iis consequendis ab aliis impediatur. Neque enim jure solum minus rigoroso, sed stricto profus & rigoroso vim injustam & dolum à civibus suis avertere tenetur. Quare nullus dubitarem, etiam rempublicam aut Principem ad æstimationem damni incerti teneri, si vis injustæ aut doli mali v. g. falsæ diffamationis, qua civis dignior à consequendo munere aut præmio remotus fuit, particeps foret.

114 Pertinent autem ad justitiam distributivam non tantum res communes bonæ, nimirum honores, dignitates, officia honorifica, pecuniæ communes &c. sed etiam malæ seu onera, si quæ inter se ad salutem publicam cives conferre cogantur; nam & hæc ut communia tanquam ad totam universitatem pertinentia singulis pro capacitate, servata inter cives proportione, dispertienda sunt. Distributiva enim justitia fundatur in æquitate naturali; si igitur expetit, ut cives ex bonis communibus secundum proportionem meritorum ac aptitudinis commodum sentiant, necessario etiam exiget, ut secundum proportionem virium & capacitatis onera communia reipublicæ incumbentia sustineant: ex æquitate enim naturali, qui sentit commodum, sentire debet & onus: c. 54. de R. J. in 6. L. 10. ff. eod. & consequenter dum Communitatem aut administratorem obligat, ad præmia ac munera publica secundum proportionem meritorum ac civium capacitatem distribuenda, non modo hunc, sed etiam illam obligabit ad distribuenda cum proportione seu pro capacitate civium onera publica atque ad salutem reipublicæ necessaria. Et hinc si contra legem hanc venerint, nec onera debita proportione distribuunt, alios plus, alios verò minus, quam deceret, onerando, violatæ justitiæ distributivæ rei erunt, non solum respectu illorum, quos justo minus, sed etiam respectu eorum, quos ultra præscriptam proportionem onerârunt: imò respectu horum nec à peccato contra justitiam commutativam immunes erunt, si oneribus realibus, tributis, exactionibus &c. subditos gravando excedant. Habet equidem respublica jus rigorosum ad exigenda tributa pro necessitatibus publicis; illaque subditi vi pacti taciti in receptione initi solvere tenentur, si exigantur; at non ad alia hoc in pacto se obligârunt, aut obligari potuerunt, quam

quàm ad ea, quæ necessitatibus publicis & propriis facultatibus proportionata fuerint: adeoque si absque necessitate; si ab aliquibus tantum, aut sine respectu & proportione ad bona subditorum exigantur, si tantum à paupere Codro, quantum à Cræso divite petatur, quoad excessum injuriam propriè dictam, quæ obligationem restitutionis imponit, haud dubiè continebunt; utpote nullo jure, nullo titulo suffulta.

An verò justitia distributiva intra bona duntaxat ac onera communia se contineat, nec extra illa aliud objectum respiciat, ut plerique supponunt potius, quàm probant, non immeritò dubitari posset; neque enim ulla apparet ratio, cur in definitione hujus justitiæ addant: *distribuendo bona communitatis in membra ejusdem* &c. quasi hæc solum bona totum illius objectum conficiant, nec extra ea finem suum obtinere possit. Sic autem in oppositum argui posset. Ideò respublica distribuendo bona communia secundum proportionem meritorum, ac imponendo onera publica civium capacitati proportionata justitiam distributivam exercere dicitur, quia hac ratione juri minus rigoroso, quod membra communitatis à Jure naturæ habent, satisfacit; hoc ipso enim, quod jus naturæ rempublicam conservatam velit, exigit, ut in distribuendis muneribus ratio dignitatis, in imponendis verò oneribus ratio capacitatis proportionatæ habeatur, cavetque, ne in prioribus per defectum, in posterioribus per excessum lædantur: atqui etiam ille, qui gratitudinem, liberalitatem ac misericordiam ex propriis bonis exercet, si id debita proportione faciat, nec beneficium det indistinctum omnibus, nec omnibus misereatur, sed quibus maximè convenit, hoc est, qui beneficentia & misericordia digni sunt, benè meritis scilicet, pauperibus ac miseris, & quidem dignioribus ac aptioribus præ minus dignis ac minus aptis, jus minus rigorosum illis tribuit, siquidem jus naturæ non minus petit, ut grati simus ac liberales in benefactores, misericordes in pauperes ac oppressos, quàm, ut in bene meritos à republica præmia ac munera distribuantur; actum enim est de republica, in qua liberalitas, gratitudo, misericordia &c. penitus exulat. Quare nullatenus aberraturum crederem, qui Justitiam distributivam comitem, quin & reatricem diceret earum virtutum, quæ aliis hominibus absque pacto utilitatem afferunt.

Hac ipsa ex causa Hugo Grotius de I. P. & B. lib. 1. cap. 1. §. 8. ubi Justitiam commutativam explettricem, distributivam attributricem appellat, n. 3. subjungit: *neque magis verum est, quod à nonnullis dicitur, attributricem versari circa res communes, explettricem circa res singulares. Contra enim est, si quis de re sua legare velit, nimirum quibus convenit, attributrice justitia uti solet.* Idemque denuo tacitè innuit, dum lib. 2. cap. 17. §. 2. n. 2. post Aristotelem dixit: *contra propriè dictam Justitiam nihil committit, qui pecuniâ sua alteri non succurrit præ tenacitate.* negando enim eum peccare contra Justitiam propriè dictam, qualis Grotio sola est expletrix, tacitè concessit, eum justitiam attributricem violare. *arg. c. 5. de præsumpt.* Neque audio, si dicas, inopiâ pressum ad divitis avari pecunias jus nullum habere; si enim civis, si dignus aut dignior sit, jus habet ad præmia aut munera publica, civis inopiâ pressus jus aliquod habebit ad superfluas divitis pecunias; nam sicut prior dignus est præmiis ac muneribus publicis, ita posterior dignus est misericordia, & sicut jus naturæ communitati præcipit, ut præmia ac munera inter cives di-

tribuat servata proportione meritorum, ita etiam à privatis exigit, ut ex superfluis pauperibus egestate oppressis subveniant, & quidem magis indigentibus præ illis, qui minus indigent, quia magis digni sunt. Aut igitur negandum erit civi ad præmia ac munia publica jus aliquod competere, aut simile jus etiam pauperi ad eleemosinas ex superfluis divitum concedendum erit; quia non minus hic eleemosinam, ac ille præmio dignus est, nec minus huic quam alteri Jus naturæ assistit, ex quo potius quam ex majore dignitate jus illud minus rigorosum descendit, ut dicitur *sect. seq. §. 1.* videatur etiam n. 138. ubi dicimus justitiam quoque vindicativam partem esse Justitiæ distributivæ.

De differentia specifica Justitiæ.

117 **EX** dictis hucusque abunde liquet, ad omnem justitiam requiri I. ut ordinetur ad alterum Juris capacem, atque adeo ut supponat duo subjecta non solum physicè, saltem inadæquatè per n. 100. sed etiam moraliter distincta; sicut enim nemo sibi ipsi, ita nec alteri, juris adversus se incapaci, jus tribuere potest. II. Ut operetur ex motivo juris, quod alter habet; quia si actus diversum ab hoc finem intenderet, nec Jus alterius respiceret, aut præcisè in honestate virtutis sisteret, actus quidè bonus & honestus, non tamen actus Justitiæ foret; neque enim si creditori meo indigenti in memor debiti redderem, quod deberem, quia honestum est indigenti succurrere, actum justitiæ exercerem, sed potius liberalis aut misericors in illum essem. Hinc etiam actus religionis aut gratitudinis erga Deum ideò tantum exercitus, quia honestum est Deo primo rerum omnium principio cultum exhibere, ac pro beneficiis grates rependere; si à Jure ejus abstrahat, actus justitiæ non erit; quamvis hoc non obstante juri proprietatis Dei satisfaceret, quia talis homo virtualiter & implicite censeretur velle omnibus titulis, quibus Deo obstrictus est, satisfacere. Utrum verò etiam in priore casu liber evadam à debito meo? paulò magis controversum est. Affirmat Cardenas in 1. *Cris. disp. 94. à n. 24.* quem sequitur Lacroix *lib. 3. p. 2. n. 452.* quia ut ait, donando creditori meo, quod debeo, præsumor voluisse extinguere obligationem graviolem, adeoque etiam obligationi Justitiæ satisfecisse, sicuti qui die festo ex mera devotione audit sacrum, censetur etiam obligationi justitiæ universalis, qua juxta nos Ecclesiæ præceptis constringitur, satisfecisse. Verùm hæc ratio & præsumptio nulla est; quia licet fortè præsumi possit, quòd voluissem satisfacere debito, si ejus meminissem, præsumi tamen non potest, me actu voluisse; motivum enim liberalitatis, quod actu habui, impossibile est cum motivo justitiæ; siquidem donare est gratis dare; qui autem solvit, non dat gratis: ergo si habui animum donandi, eo ipso non volui, ut donum computetur pro debito. Neque urget adjecta paritas; nam etsi fideles ex pacto tacito, adeoque ex justitia propriè dicta obligentur ad servanda Ecclesiæ præcepta; non aliter tamen se obligant, quam Ecclesia id ab illis expetat, nimirum ut rem præceptam executioni dent: igitur re præcepta posita, quacunque intentione id fiat, præcepto ac obligationi suæ satisfaciunt, etiamsi satisfacere nollent; quia Ecclesia vi pacti illius taciti jus aliud non acquirit: contra verò creditor meus jam ante contractum à me debitum jus habuit acceptandi, si quid illi donarem, idque unà cum jure ad debitum retinet, & consequenter acceptando donatum, juri ad debitum nullatenus renuntiat. Videatur Card. de Lugo. *de l. & l. disp. 4. n. 45.*

Dein-

Deinde data etiam sententia affirmativa officere nobis nil posset, quia etsi si hujusmodi datio solutio debiti foret, tam parum tamen actus Justitiæ formalis esse posset, quam compensatio occulta, quam creditor meus ex bonis faceret. Illi. requiritur, ut jus, quod respicit, sit proprium alterius, seu illius, cui satisfacere capit, sive deinde jus hoc sit rigorosum, vi cujus debitum efficaciter exigere possit, sive minus rigorosum, quo dignus redditur, ut illi aliquid tribuatur, etsi illud efficaciter exigere non possit. Neque enim si Cajo tantum debeam, justitiam exerceo, si Maxio, cui nihil debeo, centum hos tribuam. Quod si ille, cui jus rigorosum adversus te competit, incertus sit, nec adhibita morali diligentia resciri possit, aut etsi rescidatur, spes tamen non affulgeat, illum conveniendi, refert, an ei quid debeas ex delicto, vel sine delicto? si ex delicto, vel præsumpta creditoris voluntate, in pauperes, aut aliam piam causam expendere teneris, quod debes, ut, cum corpori ejus prodesse non possis, animæ saltem illius prosis. Laymannus cum comuni *lib. 3. §. 2. cap. 9.* si sine delicto debeas, ex opinione satis probabili, & practicè tuta tibi retinere posses, quod debes, uti rectè docet Auctor citatus; tali namque casu hujusmodi bona censentur adspota, & pro derelictis habita, adeoque fiunt primo occupantis. Excipe cum Lessio *lib. 2. cap. 14. n. 51.* bona naufragorum in litus ejecta: in neutro tamen casu à solvendo debito liber evade- res, nisi tempus ad præscriptionem requisitum elapsum foret. Sic pa- riter, si administrator reipublicæ in distribuendis muneribus minus dig- num præferret digniori, non satisfaceret justitiæ distributivæ, sed eam haud dubiè violaret; quia digniorem privaret jure suo, quod habet. Casu quo tamen ex pluribus æquè dignis, reliquis amicum suum præ- ferret, argui non posset, quia casus pro amico in Justitia distributiva per se vi- tio caret, secus autem contingit in Justitia commutativa. Ex his jam sua spon- te fluit, qua ratione justitia in genere ab aliis virtutibus differat; nulla enim alia operatur ex motivo juris quod alter habet; sed hinc.

Dubitatur I. an inter Dominum & servum propriè dictam justitia 118 locum habeat? ad hanc quæstionem plerique DD. distinguendo respon- dent, & si sermo sit de servo, qui talis est, concedunt; sic enim potest ser- vus qui talis rem domini surripere, corrumpere, aut destruere cum injuria & injustitia, dominus quoque servum injustè potest lædere tum in vita aut membris, tum in honore & fama, tum in fortunis, si peculium ali- quod eidem pleno jure conferat &c. si verò quæstio procedat de servo quâ tali, negant justitiam propriè dictam inter Dominum, & servum lo- cum habere: verùm & hic denuò distinguendum videtur, vel enim ser- vus quâ talis consideratur, prout est instrumentum vocale Domini, ut eum vocat Varro *lib. 3. de re rust. 17.* seu prout est res Domini illi fructi- ficans, ac pleno jure subiecta §. 1. *J. de his, qui sui vel alien. tot. tit. ff. de ope- ris servo.* & impossibilis est justitia inter dominum, & servum quâ talem; in hac enim consideratione jure gentium, & civili non reputantur duo subiecta distincta, juris capacia, sed servus pro nullo, ac homine sine ca- pite habetur *L. 44. ff. de R. J.* sicut ergo nemo rei suæ ex justitia obligari nec illam sibi obligare potest, ita nec servo dominus, nec domino ser- vus obligari poterit, si ut instrumentum, & res domini consideretur, sed quidquid acquirit, instar instrumenti fructificantis domino acquirit; *cit. tit. de oper. ser.* unde patet, quare servus cum aliis absque voluntate Domini contrahendo conditionem domini meliorem quidem, non verò deterio- rem facere possit. §. 3. *J. per quas person.* & alibi. Videantur dicenda n. 122. & seqq. priore enim casu agit ut instrumentum, à domino directum, non verò

verò posteriore. Si verò servus non consideretur ut instrumentum domini, aut res illi pleno jure subjecta, etiam inter dominum & servum quæ talem justitia locum habet. Hac quippe ratione censentur duo subjecta non solum physicè, sed etiam moraliter distincta; Jurisque adversus se invicem capacia. Sic potest servus quæ talis cum Domino, & dominus cum servo pacisci de certo pretio pro manumissione *L. 3. C. an servus pro suo facto &c.* sic ex justitia tenetur dominus curam habere servi gravi morbo laborantis, quòd si illum destituat, aut pro derelicto habeat, liber evadit servus *L. 2. ff. qui sine manumiss.* nec impedire potest sine injuria Dominus servum, si necem testatoris, & prioris Domini detegere velit, idque si fecerit, fit orcinus libertus *L. 5. cit. tit.* Præterea servus quæ talis ex justitia tenetur domino præstare operas, ad quas exemptione, aut alio titulo domini jus habet, & vicissim dominus ex Justitia obligatur congrua servo alimenta suppeditare, nec potest ipsum sine injuria tot operis aut laboribus onerare, ut iis succumbere cogatur. Neque etiam hujusmodi injuria sine obligatione alicujus saltem restitutionis est, servus enim neglectas operas majore industria compensare, vel pœnam à domino exactam sustinere cogitur; dominus verò solito melius habere, ac mitius deinceps tractare servum tenetur, aut nisi id fecerit, servus ad sui venditionem, æquis conditionibus faciendam, provocare poterit §. 2. *J. qui sui vel alieni &c.* sufficere autem ad justitiam propriè dictam hujusmodi restitutionem, patere potest à pari cum Religioso omnis domini, quo ad temporalia, incapacis. Igitur etiam inter dominum & servum quæ talem saltem aliquando justitia locum habere potest; memoratis enim in casibus servus quæ servus, seu quia est servus dominum, & vicissim Dominus quæ dominus servum sibi obligatum habet.

119 Dubitatur II. An inter Patrem & filium dari possit justitia? Non defunt, qui absque omni distinctione negativam tuentur, ut videre est apud Valentiam hinc *disp. 5. q. 1. p. 2.* & ratio esse videtur; quia inter Patrem & filium non datur cum rigore alteritas & diversitas, quanta ad Justitiam requiritur; filius enim videtur esse pars patris, & quasi alter ipse, imò de jure civili pater & filius pro una eademque persona habentur §. 4. *J. de inutil. stipul.* sed non una adhibenda est distinctio, si veritatem amemus. Vel enim quæstio hæc procedit de Jure naturæ, & gentium vel de Jure civili? si de jure naturæ & gentium, dubitari non licet, inter patrem & filium etiam justitiam propriè dictam possibilem esse. Ratio est; quia de Jure naturæ & gentium filius non reputatur una persona cum patre, sed distincta jurisque distincti capax; pater enim de jure naturæ jus aliud non habet in filium, quàm ut illi imperet, quæ ad congruam ejus educationem pertinent, illumque ex pietate & gratitudine obstrictum habeat, equidem filius est fructus patris, non tamen ita Patris est, sicut est suus; ut dixi *tr. de pact. cap. 4. n. 145.* de jure verò gentium patris potestas in filium ad ea solum porrigitur, quæ ad rectam familiæ gubernationem pertinent Vinnius §. 3. *I. n. 1. de patr. potest.* Neutra autem potestas justitiam inter Patrem & Filium excludit: neque enim justitia bonam filii educationem aut familiæ gubernationem impedit, nec pietatem aut gratitudinem Patri debitam imminuit, sed etiam augere potest.

120 Si verò sermo sit de jure civili, de novo distinguendum; vel enim filius est naturalis, & extra justas nuptias aut matrimonium saltem putativum præmissis denuntiationibus unius saltem bona fide in facie Ecclesiæ contractum, *c. fin. de cland. despons. c. pen. qui filii sint. legit.* susceptus, vel est naturalis & legitimus simul? si naturalis & ex concubina natus sit

fit, idem à fortiori, vel etiam, sublato per reform. Polit. de an. 1548. tit. von leichtfertiger beywohnung concubinato, à pari dicendum de proge-
nito ex scorto & meretrice publica, seu mansere &c. haud dubiè inter
Patrem & filium talem justitia intercedere poterit; Pater enim cum fi-
lio naturali & illegitimo non reputatur eadem persona, nec illum in po-
testate habet l. 3. ff. qui sui vel alien. jus §. 12. I. de nupt. adeoque plus Juris in
eum non habet, quàm de jure naturæ ei competat: imò nec tantum ei debe-
re videtur filius illegitimè natus; quia stante jure civili ob patris delictum mul-
tò deterior ejus est conditio, quàm filii legitimi. Quamvis autem filius natu-
ralis, aut etiam vulgò quæsitus, si inter parentes ejus tempore conceptionis
vel nativitatis, aut intermedio matrimonium consistere potuit, legitime-
tur per subsequens matrimonium c. 6. qui filii sint. legit. patris tamen po-
testati, nisi volens, non subjicitur, Novell. 89. c. 11. Neque dicas à
Novell. & C. cit. haberi, filios illegitimos tunc solum per subsequens ma-
trimonium ad legitimum jus deduci, cum & ipsi hoc ratum habuerint:
igitur neque legitimi seu legitimati quoad natales erunt, nisi consentiant:
nam etsi ita communiter legistæ sentiant, mihi tamen stante etiam hac
Novella, probabilius semper visum est, Imperatorem per jus hoc legiti-
mum patriam potestatem duntaxat, non verò restitutionem quoad na-
tales intellexisse, atque illam tantum non verò hanc arbitrio liberorum,
qui rationis compotes fuerint, reliquisse; ut ex ratione ibi adjecta satis
certum videtur; ait autem c. 11. cit. Imperator: *Nam si solvere jus patriæ
potestatis in vitis filiis non permixtum est patribus, multò magis sub potestatem re-
digere invitum filium & nolentem, sive per oblationem ad curiam, sive per in-
strumentorum celebrationem, sive per aliam quamlibet machinationem, tanquam
sortem metuentem paternam justum non est.* Ratio hæc enim solum procedit
de patria potestate, non verò de Restitutione quoad natales: igitur de
illa sola constitutionem hanc suam intellexit Imperator; quia si ratio le-
gis est anima legis, uti desumitur ex l. 7. ff. de bonis damnat. juncta l. 20.
§. 7. ff. de petit. hered. ac l. 19. C. SS. Eccles. ubi ratio legis locum non
habet, neque ipsa lex locum habere poterit. Quare dum subjungit: *si
verò plurimis existentibus liberis, alii quidem eligant, alii respuant. hi, qui vo-
lunt, legitimi fieri, fiant &c.* Solum intelligi potest de altero legitimatio-
nis effectu, non verò de restitutione natalium; si enim etiam protestatio
patris, concubinam ducentis, præjudicare non potest filio quoad resti-
tutionem Natalium, ut rectè docet Covaruvias part. 2. cap. 6. §. 2. n. 15;
aliàs etiam liberi nati ex justis nuptiis, non evaderent legitimi, si Pater nol-
let, neque dissensus filii illam impedire poterit. Cujus ratio ulterior est,
quia legitimatio quoad restitutionem natalium est favor concessus ipsi
matrimonio, cui privatorum contradictio vel renuntiatio prævalere ne-
quit l. 38. ff. de pactis. dicit enim Pontifex c. 6. cit. *tanta vis est matrimonii,
ut qui antea sunt geniti, post matrimonium contractum legitimi habeantur.*

Si verò filius est naturalis & legitimus simul, tertia adhibenda est 121
distinctio, & videndum, an filius legitimè natus adhuc dum in patria po-
testate & sacris paternis constitutus, an verò emancipatus jam sit? si hoc
secundum, certum omninò est, filium emancipatum Patri, ac patrem
filio ex justitia obligari posse, non minùs ac alteri cuique extraneo, siqui-
dem filius emancipatus respectu patris instar extranei habetur; hinc nec
talis filius Patri nec pater filio stipulari potest l. 26. C. de Jure dotium, adeo-
que penitus cessat identitas moralis personarum. Si autem primum, &
filius naturalis & legitimus simul in paternis sacris adhuc versetur, qui u-
no verbo filiusfamilias vocatur, quarta aut etiam quinta distinctione o-
pus

pus erit: quia vel quæstio est de filiofamilias, qui talis est, & jam iterum extra omnem controversiam est, posse inter partem & filium ita consideratum justitiam dari; potest enim filiofamilias qui talis habere peculium castrense vel quasi castrense, in quo plenissimum habet Dominium, ac instar Patrisfamilias reputatur *pr. J. quibus non est permittum l. pen. S. 2. C. de usufr. l. 6. pr. C. de bon. quæ liber.* quid ni igitur de his bonis cum patre pacisci, seque Patri, patrémque sibi obligare poterit: quin imò pater & filiofamilias, qui tales sunt, etiam absque pacto voluntario ex justitiâ sibi invicem obligantur, ne alter alterius jus violet in bonis Corporis famæ ac fortunæ. Vel contra sermo est de filiofamilias quâ tali, & rursus secundum duplicem personam, quam etiam quâ talis gerit, distinguendum; quia vel filiofamilias quâ talis consideratur ut persona à Patre distincta, seu quatenus etiam sibi acquirere, ac proprium habere peculium potest, quale est peculium adventitium seu quod extra militiam sagatam & togatam ac aliunde quàm ex re aut intuitu patris acquirit, hujus enim si irregulare sit plenissimum, si verò regulare, minus plenum acquirit Dominium: quod verò peculium hoc habeat, & acquirat filiofamilias quâ talis, seu quia est filiofamilias, inde patet, quòd neque de regulari neque de irregulari disponere possit mortis causa *l. pen. C. qui testam. facere.* De regulari verò neque inter vivos quoad effectum alienationis sine consensu patris validè pacisci, quia ususfructus illius ad patrem pertinet *l. fin. S. 1. C. de bon. quæ liber.* videantur dicta *Tr. de pact. c. 3. n. 82. & seqq.* hoc autem stante non modò patrem ex justitiâ obligatum habet, ne bona ejus adventitia destruat, aut eum à Dispositione de illis impediatur, sed etiam cum illo de bonis adventitiis præcipuè irregularibus pacisci poterit, conventio tamen de bonis adventitiis regularibus civiliter efficax non erit, dum filius in potestate patris erit *l. 7. ff. de O. & att. l. 11. ff. de jud. l. 15. §. 1. ff. de castr. pecul.* secus dicendum putat Müllerus ad Struvium *Excerc. 6. thes. 42. ff. de pact.* de adventitiis irregularibus *per auth. excipitur C. de bonis quæ liber.* Vel denique filiofamilias quâ talis consideratur ut eadem moraliter persona cum patre *l. fin. C. de impub. & aliis substitut.* habetur autem fictione juris pro eadem persona filius cum patre, si aliquid acquirat ex re aut intuitu patris; hæc enim omnia patri acquirit *S. 1. J. per quas person. l. 2. C. de patr. potest.* similiter eadem persona reputatur filialis cum patre, si pro patre stipuletur, etiam in iis rebus, quæ suam in personam conferre non potest, uti & pater eadem persona fingitur cum filio, si pro filio stipuletur in iis rebus, quæ in patrem conferri possunt *S. 4. l. de inutil. stip. l. 38. §. 6. l. 130. ff. de V. O.* non enim Patris tanquam filii, sicut filii vox tanquam patris reputatur, in iis rebus, quæ Patri acquiri possunt, *§. 4. cit. videri etiam potest l. 50. ff. ad Scutum. trebell. l. 16. ff. de furt.* atque ita si consideretur filiofamilias, inter illum & patrem justitiâ propriè dicta locum habere non possit; Deficit enim alteritas non physica sed moralis, adeoque requisitum essentiale ad Justitiâ. Unde colligitur, quòd Pater filiofamilias usumfructum, quem habet in bonis adventitiis, renunciare *l. 6. §. auth. idem est C. de bonis quæ liber.* non verò ex bonis profectitiis donare possit *l. 11. C. de donat.* quia nimirum in posterioribus reputatur eadem persona, non verò in prioribus. Quare si verum est, quòd Brunemannus ad *l. 6. C. de bon. quæ liber. n. 6.* post Franciscum de Clapperiis docet, filiofamilias quâ tali, si peculiari industria ex re patris aut peculio profectitio fructum faceret, certam fructuum portionem boni viri arbitrio assignandam esse, non censeretur eatenus eadem persona cum Patre, neque obligatio hæc ex justitiâ propriè dicta

dicta orietur, sed potius ex fidelitate vel promissione patris praesumpta.

Dubitatur III. An inter Deum & hominem possibilis sit Justitia? Dubium hoc quod gravissimos etiam Theologos in diversas scindit partes, duplicem continet quaestionem, prima est. Utrum homo deo obligari possit ex justitia? atque in hac supra n. 94. & seqq. pro parte affirmantium pro modulo nostro stetimus. Neque enim negari potest, Deum habere jus proprietatis in omnes actiones bonas hominis: igitur nisi exercitium hujus Juris, & consequenter ipsum jus chimæricum dicere velimus, poterit Deus hominem ex jure hoc proprietatis ad actiones illi possibiles obligare: quamvis nec Pater filium, quatenus hic eadem cum illo persona reputatur, nec Dominus servum, si ut res Domini, pleno jure illi subjecta consideretur, ex justitia obligare possit, in filio enim deficit alteritas subjecti, in servo capacitas obligationis, siquidem servus ita consideratus habetur pro nullo, pro homine sine capite per n. 118. neutrum horum contingit in homine respectu Dei, tum quia homo nec fingi potest, esse idem subjectum cum Deo; tum quia hominem à Deo ex Justitia obligari posse, adeoque obligationis hujus capacem esse, etiam quatenus est res Dei, illi plenissime subjecta ex Jure proprietatis, quod Deus habet in actiones illius, plus quam manifestum est. Hinc illud, quod supra n. 118. diximus, neminem rei suae obligari, aut illam sibi obligare posse, quoad alteram partem distinguendum, nisi scilicet res talis, etiam prout est domino plenissime subjecta, libertatis adeoque & obligationis sit capax, uti indubitato est homo respectu Dei, hic enim etiam quia liber est res Dei illi plenissime subjecta, servus autem prout est res Domini, reputatur pro nullo.

Altera quaestio huic dubitationi inclusa est. An etiam Deus obligari possit homini ex Justitia? in qua, si fori nostri esset, haud dubie pluribus pro negantibus pugnaremus, ne eorum, quae nuper diximus, obliti minus consequenter loqui videatur: neque enim ideo solum servus, quatenus est res Domini, illi pleno jure subjecta, obligatum habere non potest Dominum ex Justitia, quia in hac consideratione nullus ac juris omnis incapax est, sed etiam quia aliàs esset in plenissimo Domini dominio, ut ponitur, & simul non esset, quia quatenus dominum obligatum haberet ejus dominio exemptus foret, eatenus enim de illo illiusque actionibus disponere pro libitu non posset; atqui si Deus homini obligari posset ex justitia, pariter sequi posset, quod homo sit res Dei ipsi plenissime subjecta, quia quocumque sub praedicto consideretur, essentialiter est creatura, adeoque in plenissimo Dei dominio; & simul quod non sit res Dei illi plenissime subjecta; in quantum enim Deus homini obligatus esset ex justitia, non posset sine injuria proprie dicta disponere pro libitu de illo; eatenus enim exemptus foret perfectissimo ejus dominio. Sic e.g. si Deus ex justitia obligatus esset ad tribuendam homini gloriam aeternam, bonis operibus ipsius proportionatam, non posset illi sine injuria proprie dicta hanc gloriam negare, nec de gloria hac utus creatura, aliter disponere, & consequenter nec hominis, nec gloriae hujus perfectissimum haberet dominium: ergo si impossibile est, prout certò est, ut homo vel alia creatura etiam aliqua tantum ratione extrahatur ex perfectissimo Dei dominio, quia quacumque ratione consideretur, creatura est, impossibile etiam erit, ut Deus homini ex Justitia obligetur. Si dicitur: Hac ratione hominem tantum aliquatenus eximi dominio Basilio, non verò dominio Alto & Excellentiae Dei, verba das; implicat enim

nam dominium Bassimum seu Alto subordinatum in Deo: adeoque si Deus se homini ex Justitia obligari posset, dominium altum & Excellentiam eatenus abdicare deberet; quod etiam juxta oppositæ sententiæ patronos facere non potest.

124 Confirmatur. Si Deus homini obligari posset ex Justitia, jus hoc, quod haberet homo adversus Deum, obligaret Deum, ut velunt adversarii, adeoque, si juri huic contraveniret Deus, inferret homini injuriam propriè dictam; sine hoc enim vix explicabitur hæc obligatio justitiæ; & simul etiam hoc jus non obligaret Deum, quod probatur: homo vi juris hujus, v. g. ad gloriam æternam, non posset de gloria æterna, ad quam jus habere dicitur, disponere ex suo beneplacito, sed teneretur de illa, & eadem ex justitia; sicut de aliis rebus, in quas jus vel dominium habet, disponere in commodum beneplaciti divini, alias etiam contra Dei voluntatem juri huic posset renuntiare, quin Deo inferret injuriam; atqui si homo de jure hoc suo ac de gloria æterna teneretur disponere in commodum beneplaciti divini, jus hoc Deum non obligaret; neque enim jus illud debitorem meum obligat, vi cuius ego de re, quæ mihi devincta dicitur, aliter disponere non possum, nisi in commodum beneplaciti ipsius debitoris: imò tali casu ego potius illi, qui ratione hujus juris debitor meus diceretur, obligatus forem; ergo jus hoc hominis erga Deum obligaret Deum, & simul non obligaret, & consequenter si Deus homini ex justitia obligaretur, obligaretur illi, & simul non obligaretur, quod evidenter implicatorium est.

125 Sed Deus, inquit, sub conditione onerosa bonorum operum vitam æternam homini, & Christo Domino sub conditione mortis remissionem nostrorum peccatorum promisit. Quid tum? si enim promissio non obligat ultra intentionem obligantis, ut rectè docet Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 18. n. 6.* multo minus obligare poterit ultra capacitatem promittentis; Deus autem respectu hominis capax non est obligationis ex justitia, sed solum ex fidelitate: adeoque ejus promissio, etiam sub conditione onerosa facta, tantum erit spontanea & liberrima obligatio fidei. Neque ultra est paritas inter obligationem fidelitatis & Justitiæ. Nam I. obligatio Justitiæ Dei erga hominem homini jus propriè dictum tribueret ad gloriam promissam adversus Deum, obligatio verò fidelitatis illi tantum jus minus rigorosum tribuit, hoc est, impleta conditione onerosa illum gloria æternâ dignum reddit. II. obligatio ex justitia pendet à voluntate obligantis hominis, non verò Dei obligati: contra obligatio ex fidelitate pendet à liberalitate ipsius Dei promittentis, eoque fere modo, quo obligatio justitiæ distributiæ ab æquitate administratotis, non à voluntate civis dignioris dependet. Hinc licet inter Patrem & filium respectu peculii adventitii locum non habeat justitia, dari tamen potest obligatio ex fidelitate. III. obligatio ex justitia involyeret aliquam cessionem & abdicationem juris in obligato seu Deo, quod nullatenus facit obligatio ex fidelitate; siquidem obligatio ex fidelitate aliud non est, quam obligatio ad aliquod exercitium divini domini; cum ergo nec repugnet exercitium domini divini, nec libertas divina, etiam non repugnet libera illa obligatio: contra obligatio ex justitia non esset tantum exercitium sed etiam abdicatione aliqua divini domini, cederet enim Deus homini jus rigorosum adversus se ipsum & quidem independens, à dispositione Dei, quod haud dubiè impossibile est. Quod si etiam hoc jus Deo plenissime subjectum dicant adversarii, hoc ipsa jus rigorosum hominis adversus Deum, ac Justitiam Dei erga hominem evertunt.

Salvo igitur tot gravium Doctorum judicio, probabilius videtur Deum homini ex Justitiâ saltem rigorosa obligari non posse. Tremens equidem Justitiâ tuam adoro Domine, *justus es, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis: quod te decet summum Bonum.* S. Anselmus in Prologo *cap. 10. reposita est mihi corona justitiæ. 2. ad Timoth. 4.* ita misericordia tua infinita sperare me jubet, hæc enim justitiâ, per gratiam tuam tibi exhibitam, coronare promisisti; hinc beatos dixisti eos, *qui esuriunt & sitiunt Justitiâ, qui persecutionem patiuntur, propter Justitiâ &c. Mat. 5.* merces est vita æterna, denarius, quin & debitum propriè dictum videri posset, si opera nostra ex justitiâ tibi debita, tuâque gratia elevata respiciamus; nec merces, tamen nec denarius aut debitum, nisi latius tale, sed præmium, sed Corona dici potest, si liberalem adeo promissionem tuam, qua nemini nisi tibi obstringeris, cum perfectissimo tuo dominio conciliare velimus; quia enim fidelis es in omnibus verbis tuis *Psal. 144. v. 13. reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens.* Augustinus *Lib. 1. Conf. cap. 4.* videri potest R. P. Antonius Mays, Pater Præfectus studiorum nostrorum mihi pluribus ex titulis Colendissimus *tr. 9. disp. 3. q. 3. art. 5. per tot.* ubi quæstionem hanc more suo solidissimè pertractat.

De Differentia Justitiæ universalis.

EX iis, quæ à n. 90. disputavimus, nullo negotio intelligitur, *objectum materiale* Justitiæ universalis, quam plerique legalem vocant, esse actus omnium virtutum moralium, quos ex motivo felicitatis publicæ reflexè dirigit in bonum Communitatis, quosque hunc ipsum in finem communitas à Civibus vi pacti taciti exigit. *Objectum verò formale, sub quo* justitiâ hæc actus omnium virtutum dirigit ad bonum publicum, est jus, quod habet respublica ex titulo universalis seu pacto tacito in actiones civium; ex hujus enim juris motivo civis bonas actiones suas bonas exercere tenetur, sive deinde jus hoc amet, sive non. *Objectum denique formale quod est honestas specialis, quæ relucet in actionibus virtutum, si ex motivo* hujus juris, quod habet respublica, ad promovendam ejus felicitatem, ponantur; hæc tamen honestas omnino amari debet, ut habeatur actus Justitiæ universalis; virtus enim moralis prosecutive attingere & amare debet *objectum suum formale quod, quamvis non sit necesse, ut ita etiam attingat objectum formale sub quo; nam æquè perfectus & fortè etiam perfectior foret actus Justitiæ hujus universalis, si jus hoc Communitatis civi difficile & onerosum accideret, modò illum poneret ex motivo hujus juris: contra verò, si specialem illam honestatem non intenderet, nec in illam prosecutive tenderet, actus hujus Justitiæ non foret.* Quia si omnis virtus est amor boni, ut dicit S. Augustinus *Lib. de morib. Eccles. cap. 15.* omnis virtus specialis est amor boni specialis.

Unde per se fluit, Justitiâ universalem specie diversam esse à Justitiâ particulari; hæc enim circumscribitur materia sua propria, nec per se ac vi muneris sui actus virtutum, quæ ad officium hominis erga Deum ac erga se ipsum pertinent, imperat, multò minus ad omnes excurrit; illa verò, quia respicit finem universalem & præstantissimum, non agnoscit materiam propriam; sed, ex motivo felicitatis publicæ excurrit ad actus omnium virtutum; omnesque dirigere conatur in bonum republicæ; hæc movetur ab honestate, quæ in eo consistit, quod alteri jus suum ex titulo privato debitum sive rigorosum sive minus rigorosum sit, tribuatur promovendo eorum bonum privatum; contra illa honestatem

tem suam quærit in eo, quod reipublicæ jus ex titulo universali debitum tribuat, ejusque felicitatem publicam procuret: quæ honestas haud dubiè à priore diversa est, quin etiam diversam difficultatem superandam habet, cui superandæ sufficere non potest justitia particularis sive Commutativa sive distributiva. Nec dicas, etiam jus Communitatis, quo cives sibi obstrictos tenet, juxta nos rigorosum esse, atque in pacto illo tacito fundari, adeoque eandem honestatem, eandemque difficultatem cum justitia Commutativa habere; quia si juxta adversarios specie differat à Justitia distributiva, etiamsi jus minus rigorosum, sicut illa, respiciat, differet etiam à commutativa, etiamsi jus rigorosum ortum ex pacto tacito pro objecto habeat; quia hoc non obstante dirigit actus virtutum omnium in bonum publicum Reipublicæ, in quo specialis honestas & difficultas superanda habetur, quæ non attingitur nec habetur in justitia Commutativa: ergo si habitus virtuosus morales pro diversitate honestatis, quam respiciunt, & difficultatis, quam superant, specie diversi sunt, etiam Justitia universalis & Commutativa particularis, habitus specie diversi erunt. Ad hæc nunquam explicabunt adversarii, quid sit illud jus Communitatis, si minus rigorosum fuerit: neque enim dici potest, jus hoc minus rigorosum esse aptitudinem & capacitatem Communitatis, quam habet ad hoc, ut actiones civium in ejus bonum dirigantur; hanc enim aptitudinem & capacitatem etiam habet aliena respublica, cui cives devincti non sunt: æque parum satisfaciunt, si dicant, jus hoc minus rigorosum esse dignitatem Reipublicæ, quæ vel ideò digna est, ut cives bonum ejus publicum promoveant, quia illos tanquam membra in corpus suum politicum adoptavit, sola quippe dignitas Communitati neque jus minus rigorosum tribuere posset; neque enim civis dignior jure minus rigoroso sibi obstrictum haberet administratorem, ut eum in distribuendis muneribus ac officiis minus dignis præferat, nisi administrator reipublicæ ex pacto ad hoc obligaretur: imò neque ipsa respublica teneretur civem magis dignum aliis præponere, nisi hic pacto illo tacito, quo spondit, se in omnibus ejus felicitatem procuraturum, ipsi devinctus esset; quia neque quid nexus ille politicus sit, quo cives reipublicæ, hæc verò illis devincitur, sine pacto reciproco explicari poterit.

129 Illud hæc maxime controversi video. An Justitia universalis sit virtus distincta à complexo omnium virtutum. Prima sententia contendit, justitiam legalem seu universalem sola ratione distinguere à complexo virtutum, ita, ut eadem virtus, in quantum consideratur, quatenus est perfectio animi, dicatur virtus simpliciter, quatenus verò consideratur in ordine ad rempublicam, cujus bonum promovet, appelletur justitia universalis. Atque in hac opinione post Buridanum s. *Esic.* q. 4. non pauci sunt ex Jctis & nominatim Frantzk. ff. *de J. & J.* n. 20. Hahn *ad Wejenbec.* *ibid.* n. 3. Sutholt *diff.* 1. *aphor.* 23. Eckolt ff. *eod.* tit. §. 8. Rachel *Lib. 1. J. tit. 5. thes.* 1. Struvius *Exercit. 1. thes.* 19. pluresque alii. Altera sententia sustinet, justitiam universalem non ratione duntaxat, sed re ipsa distinguere, non solum ab omni alia virtute particulari, sed etiam à complexo omnium virtutum; quia non modo quælibet alia, sed & complexum ex reliquis virtutibus indifferens omnino est, ad eam honestatem, quæ in eo reperitur, ut ex motivo juris, quod habet respublica bonum publicum procuretur, habetque hoc ipsum motivum specialem difficultatem, quod bonum publicum, secluso etiam per intellectum bono proprio, procurandum sit, cui superandæ nulla alia virtus insistit, quam justitia universalis seu legalis. Atque in hanc sententiam Ductore Angelico con-

confluit integrum Theologorum agmen, ut videre est apud Lessium *Lib. 2. de J. & J. cap. 1. dub. 3. n. 11.* Tannezum *tom. 3. disp. 4. q. 2. dub. 2. n. 18.* Castropalao *Lib. 7. tr. 31. disp. un. punct. 3. n. 3.* Platelium *part. 3. cap. 4. n. 518.* Gibalinum *Lib. 3. Jur. Can. cap. 1. q. 3. n. 20.* ac alios passim. Verum nisi toto aberrerem coelo, dux hæ sententiæ non aliter, nisi diversa ejusdem rei consideratione differunt; prior enim cæteras virtutes eatenus solum considerat, quatenus actu à justitia hac universali in bonum publicum diriguntur, atque in hoc sensu verissimum est, quod eadem virtus, quatenus animum perficit, virtus simpliciter, quatenus verò per illam reipublicæ felicitas intenditur, justitia universalis dicatur, nec aliter una ab altera, nisi ratione distinguatur; consequenter enim ad hanc directionem, non nisi per intellectum separari possunt: contra verò posterior sententia cæteras virtutes tantum considerat, ut directionis hujus capaces, in quo sensu denuo verissimum est, quod Justitia hæc à cæteris virtutibus reipsa distinguatur; antecedenter enim ad hanc directionem virtus misericordiæ, pietatis in patrem &c. non est actus justitiæ universalis. Neutra autem ex his sententiis negat, aut negare potest, justitiam universalem specialem esse virtutem, cum certum sit, quod specialem honestatem habeat, specialémque difficultatem; à nulla alia virtute superatam superare debeat.

Non desunt tamen, qui Justitiam universalem cum pietate in patriam confundant, sed malè. Tamen enim pietas in patriam studeat bono patriæ, non idem tamen motivum attingit, quod Justitia universalis; illa enim laborat prosperitati patriæ, quia ponderat beneficium patriæ in nos collatum, dum nos tulit, ac velut genuit, vel aliunde adlegendo adoptavit, abstrahendo à pacto tacito; adeoque non movetur à jure riguroso patriæ; hæc verò agit ex motivo juris rigorosi, quod communitati ex pacto tacito cum civibus competit. Fateor equidem, si jus communitatis in cives minus rigorosum defenderemus, vix ac ne vix quidem differentiam inter Justitiam universalem, ac pietatem in patriam inveniremus. Neque enim satisfacit, quod quidam respondent, nimirum pietatem in patriam respicere solum beneficium nativitatis, adeoque ea constringi solos cives originarios, justitiam verò universalem attendere ad vinculum morale, quo membrum jungitur cum suo toto, adeoque non solum cives originarios, sed etiam aliunde adlectos obligare; hanc ipsam enim obligationem, quam civis originarius contrahit nativitate, hanc aliunde adlectus subit assumptione in civitatem; hæc enim, non civitas originis, à tempore assumptionis illi patria est, hanc, non verò locum nativitatis, ex pietate tenetur præferre patri, matri ac consanguineis; & consequenter, si pactum tacitum reipublicæ cum civibus negetur, nullum supererit discrimen inter pietatem in patriam & justitiam legalem; quia sicut hoc ipso, quod aliquis assumatur in civitatem, membrum fit reipublicæ; ita etiam hoc ipso, quod aliquis alicubi nascatur ex membro civitatis, civis & membrum fit illius communitatis. Quare si justitiam universalem à pietate in patriam distinctam velimus, ut docet communissima, pactum illud tacitum inficiari non possumus. Magis adhuc à via veritatis deviant, qui Justitiam legalem eandem virtutem esse ajunt cum obedientia; siquidem obedientia per se præcisè ponderat voluntatem superioris, lege aut præcepto expressam, cui satisfacere conatur, abstrahendo à jure riguroso superioris, & bono publico communitatis, quæ tamen unice justitia universalis considerat.

Si

131 Si perconteris, num eadem specie justitia legalis in Principe & subditis? Respondeo affirmativè. Ubi enim idem habetur motivum, idem finis, eademque specie difficultas, ibi datur idem specie habitus virtuosus; atqui Princeps ex eodem motivo, ad eundem finem tenetur actiones suas dirigere cum subditis, nimirum ad felicitatem reipublicæ, ex motivo juris rigorosi, quod habet communitas vi pacti taciti, cum membris omnibus, etiam capite initi, neque specie diversam difficultatem superare debet, aliàs etiam specie diversa difficultas foret in solvendis decem, & in solvendis mille: ergo. Ad hæc licet majoris longè difficultatis sit, statuere ac determinare, quæ publico expediunt, quàm quæ ad finem hunc imperata sunt facere, meminisse tamen oportet, difficultati huic majori frangendæ non justitiam legalem, sed prudentiam aut Jurisprudenciam rectoriam insudare; hac autem semel fracta non magis est difficile, ex motivo juris rigorosi, quod habet respublica, statuere & promulgare leges, ad bonum ejus publicum conducentes, quàm ex eodem motivo & fine legibus his obedire. Nobiscum sentit Castropalao *part. 7. Tr. 31. disp. un. p. 3. n. ult.* eumque secutus Glettle *de J. & J. §. 5. n. 17.* ubi tamen, quia objectum Justitiæ legalis jus minus rigorosum defendit, duplicem in Principe respectum distinguit: *primò* enim considerat Principem tanquam personam distinctam à communitate, conductam ad id, ut illam gubernet, bonumque publicum ejus promoveat, & ita consideratum Principem, ait, jure rigoroso obligari ad procurandam felicitatem reipublicæ. *secundò*. Prout tanquam Caput cum reliquis membris constituit corpus politicum communitatis, & hoc modò spectatum jure solum minus rigoroso, ac justitia legali eum dstringi asserit, ut prosperitati reipublicæ invigilet: verum hæc distinctio inventa est, ad defendendam confictam illam justitiam legalem: quam enim & quantam obligationem habeat Princeps, ex ejus conductione & constitutione desumendum: imò ex hac unice desumitur, qualis quantusque sit nexus ille politicus inter Caput & membra reipublicæ, quantamque obligationem inferat: ut autem auctores citati fatentur, in conductione hac Princeps ex pacto, adeoque jure rigoroso duntaxat constringitur ad procurandum bonum publicum: igitur alia ipsi obligatio imponi nequit. Si verò Princeps in assumptione ad principatum pacto tacito reipublicæ devincitur, simili etiam pacto civis in assumptione ad civitatem constringetur, nisi nexum hunc difformem, omnemque harmoniam in corpore hoc politico sublatam velimus; neque enim minus obligatur, civis ut utile reipublicæ membrum se exhibeat, quàm Princeps, ut fidelem administratorem agat.

De Differentia Justitiæ Particularis Commutativæ.

132 **O**bjectum materiale justitiæ Commutativæ particularis, de qua n. 20. aliud non est, quàm actiones ad quas ponendas vel omittendas in commodum proprium nos alius jure rigoroso, ex titulo particulari quæsito, obstrictos tenet. Hinc non exerceo actum justitiæ, si jure domini de re mea liberè disponam, quia dispositio talis non substat juri activo alterius; non enim ideò de re mea liberè dispono, quòd ad dispositionem hanc jus alter habeat, sed quia titulus domini facultatem hanc tribuit: adeoque potius non committo actum injustitiæ, quàm quòd exerceam actum justitiæ. *Objectum formale sub quo* Justitiæ commutativæ particularis est jus rigorosum titulo particulari quæsitum alteri, vi cujus efficaciter

citer exigere potest, ut actio illa ponatur vel omittatur. *Objectum verò formale quod est honestas specialis*, quæ ex actione hac habetur, si ex motivo juris rigorosi, quod alter habet, ponatur. Quòd si amore honestatis hujus ponatur hæc actio, erit actus justitiæ commutativæ particularis, licet fortè jus hoc ponenti grave accidat, atque ab illo odio habeatur. Differt igitur hæc Justitia ab universali, ut dictum, quia non intendit eam honestatem, quæ habetur in promotione boni publici, neque agit ex motivo juris titulo universali quæsitæ, sed eam solùm honestatem respicit, quæ in procurando bono alterius privato consistit, idque ex motivo juris titulo privato quæsitæ tribuit. A justitia verò particulari distributiva potissimum discrepat, quòd hæc à jure solùm minùs rigoroso alterius moveatur, idque alteri tribuat, de quo mox. A cæteris denique virtutibus abstrahendo ab imperio justitiæ universalis secernitur, quia hæc non respiciunt jus alterius rigorosum.

Ex satis communi multorum ulterius distinguitur Justitia commu-¹³³tativa à distributiva per respectus ad diversas æqualitates; justitia enim commutativa, ut volunt, intendit æqualitatem Arithmeticam, distributiva verò Geometricam. Æqualitas Arithmetica stat in proportione duorum tantùm terminorum e. g. in debito decem florenorum; & in solutione decem florenorum: æqualitas verò Geometrica stat in proportione quatuor terminorum sic e. g. si habenti meritum ut quatuor ex justitia distributiva debetur præmium ut duo, habenti meritum ut sex debetur præmium ut tria. Verùm ut rectè docet Haunoldus *Tom. 1. tr. 2. n. 94. & seqq.* opinio hæc satis firma haud nititur talo: tum quia diversæ hæ æqualitates aptæ non sunt, ad inducendam diversam formaliter honestatem in actus; nisi aliquid aliud accedat, nimirum quod una supponat jus rigorosum, altera minùs rigorosum: licet igitur possent specificare habitus & actus pertinentes ad Mathesin, non tamen pertinentes ad considerationem Theologicam & Juridicam. Tum quia diversitas ista proportionis virtutibus his non est essentialis; nec enim justitia distributiva semper exercet proportionem Geometricam, nec commutativa Arithmeticam; nam si vel unum duntaxat officium vacet in republica vel unus tantùm, qui dignus sit inveniat ob defectum quatuor terminorum nequit observari proportio Geometrica. Idem contingit, si tali casu plures aessent æquè digni, & administrator illud conferat amico suo æquè cum reliquis digno; coeteri enim nihil acquirerent. Si dixeris casu, quo unus tantùm invenitur dignus, comparari hunc cum indignis; dicam & ego, in Justitia commutativa semper observari proportionem Geometricam; idè enim si soli Petro debeo centum, omnes centum illi solvo; nihil autem Paulo, quia comparo Petrum, qui solus habet jus cum Paulo, qui nullum habet jus, utaturus illi aliquid ex his centum, si quid ex illis ipsi deberetur. Similiter si Titius plures habeat creditores Chirographarios simplices, nec omnibus satisfacere valeat, stando in jure nostro *L. 6. C. de bon. autb. Jud. possid.* ex justitia commutativa debet omnibus solvere non secundùm proportionem Arithmeticam, sed Geometricam, reddendo v. g. ei cui centum debentur, quinquaginta, & ei cui quinquaginta debentur, viginti quinque &c. neque enim de jure civili hoc in casu locum haberet regula illa Juris; *qui prior est tempore, potior est jure.* C. 54. L. 98. ff. de R. J. L. 44. §. 1. ff. de O. & act. sic etiam, si diversarum artium Magistri in societatem operarum coöcant, lucrum per se, & nisi aliter conventum sit, distribui debet secundùm proportionem operarum, magis aut minùs pretiosarum, adeòque secundùm proportio-

nem Geometricam & tamen omnibus sociis lucrum ita proportionatum ex justitia commutativa debetur. Ais tu quidem hoc esse per accidens; at jure longè majore ego regero, proportionem Arithmeticam justitiæ commutativæ accidentalem non essentialem nec propriam esse; ratio enim specificativa vel proprietas essentialis unius virtutis, ne quidem per accidens convenire potest alteri speciei.

134. Æquè parùm fundata est illa differentia justitiæ commutativæ à distributiva cæterisque virtutibus moralibus, quàm plerique colligi putant ex receptissimo illo atque ex S. Thoma desumpto axiomate, quo dicitur, quòd cæteræ virtutes respiciant medium rationis, justitia commutativa verò medium rei: nam etsi ultrò concedam, justitiam commutativam non minùs ac alias virtutes morales suo modo respicere medium aliquod; procurat enim, ne suppositum ipsius seu subjectum plus habeat, quàm quousque ipsius jura se extendunt, & ne per ipsum alius minùs habeat, quàm vigore suorum jurium habere deberet, sicque media inter duo hæc extrema vitiosa versatur: cur tamen solius justitiæ commutativæ non verò aliarum virtutum moralium sit, & speciali modo dici debeat medium rei, vix ac ne vix quidem explicabunt hujus axiomatis & differentia Patroni. Neque enim valet, si ita arguant: non satisfacit justitiæ commutativæ, si ex errore etiam invincibili minùs solvam, quàm debeam, hinc errore cognito teneor adhuc superaddere, quòd deficit: contra verò satisfacit v. g. temperantiæ, si ex errore invincibili minùs aut etiam plus comedam, quàm temperantiæ leges permitterent, nec errore cognito altero die ad aliquam compensationem obligor: ergo justitia commutativa per se medium rei, reliquæ verò virtutes medium duntaxat rationis respiciunt. Negatur enim consequentia; quia sicut in justitia commutativa teneor ad medium rei, si illud cognitum habeam, ita etiam in temperantia teneor ad medium rei, si illud satis perspectum mihi fuerit. Quòd verò si hodie plus aut minùs comedam, non teneor cras aliquid superaddere aut detrahere (si tamen verum est) non inde provenit, quòd temperantia per se non intendat medium rei, sed quia temperantiæ leges singulis diebus affixæ sunt sine respectu ad excessum vel defectum hesternæ diei, eò ferè modo, quò obedientia, ex qua teneor singulis diebus recitare breviarium, pro diebus singulis certam mihi obligationem imponit, non respiciendo ad illud, quòd heri præstitum vel omisissum fuit: hoc enim supposito mirum non est, quòd hodie defectum hesternum supplere non teneor, cum impossibile sit, ut hodie præcepto, quòd pro hesternæ, non hodiernæ die urgebat, satisfaciam. Longè aliter se res habet in obligatione justitiæ commutativæ; hæc enim etsi sæpiùs ad tempus determinatum obliget, si vel homo vel tempus interpellat pro homine, illo tamen elapso non cessat obligare, donec illi ad ultimum quadrantem satisfactum sit; cum non ita sit affixa diei, ut illa expirante expiret; sicut si mihi certum opus ex obedientia imponatur, illudque superior hodie perfectum velit, per se elapsa etiam hodierna die non cessat obligare præceptum.

135. Quare censeo, probabiliùs omnino esse, virtutes morales omnes per se medium rei respicere, per accidens tamen, & supposito, quòd medium rei humanitus deprehendi non possit, etiam medium rationis non solum in cæteris virtutibus, sed etiam in Justitia commutativa sufficere, & consequenter hæc differentia inter justitiam commutativam & reliquas virtutes morales nulla est. Ratio est. Lex antecedens, qua præcipitur aliqua virtus moralis v. g. liberalitas temperantia &c. fertur in medium rei

rei; lex verò consequens duntaxat, supposita nimirum invincibili mediū hujus ignorantia, respicit mediū rationis: igitur per se omnis virtus moralis respicit mediū rei, quamvis per accidens contenta sit etiam medio rationis. Consequentia hæc videtur certa; neque enim virtus moralis, qualiscunque fuerit, aliud mediū per se respicere potest, quàm quod à lege directâ intenditur; nam mediū, quod lex reflexa respicit, utpote fundatum in ignorantia invincibili, per accidens tantum tali virtuti satisfacit: aliàs dicendum foret, omnes virtutes morales, ac sæpè etiam justitiam per se ignorantiam invincibilem supponere, quin & exigere. Antecedens pariter videtur innegabile; quia nulla lex antecedens directâ ac per se existens supponit ignorantiam invincibilem, sed sola consequens reflexa, & per accidens existens. Profectò virtus moralis, quæ tantum mediū rationis, non verò mediū rei obtinet, per accidens non verò per se, est virtus, ac sæpius peccatum materiale continet, nec nisi ignorantia invincibili à peccato formali excusatur.

Confirmatur. Virtutes morales omnes non minus ac justitia commutativa à parte rei habent mediū rei, aliàs independentè à dictamine hominis nullos, quibus clauderentur, haberent limites, nec alios, quàm quos diversa hominum, atque in ignorantia plerumque fundata dictamina illis figerent, & consequenter Angeli virtutum moralium omnium incapaces forent, nullaque in Deo admitti posset. Ergo per se atque ex natura sua debent intendere mediū rei. Consequentia est evidens; virtus enim moralis per se, & ex natura sua illos limites, illudque mediū attendit, quod Deus & natura illi præfixit, non verò quod cœcum hominis judicium illi statuit. Concedit equidem Haunoldustom. 1. tr. 2. controv. 3. n. 74. antecedens, addit tamen mediū hoc rei in virtutibus cœteris, aut non consistere in indivisibili aut si consistat in indivisibili; illud humanitus per se loquendo non nisi intra certam latitudinem cognosci posse; quis enim scit, pergat Auctor laudatus, quænam sit ultima guttula, quam si excedat, lædat temperantiam? aut quis scit, quinam sit ultimus teruntius, quem si addat fiat prodigus? verum præterquam, quòd hoc respectu ipsius virtutis per accidens omnino sit, cum virtus per se nullam omnino connexionem habere possit cum ignorantia aut cæcitate humana; hæc ipsa etiam difficultas in justitia commutativa habetur. Quis enim scit, quòd in commutationibus, commerciis, & contractibus, unde justitia commutativa ex mente Aristotelis nomen suum trahit, justitiam non lædat, si vel unico teruntio plus exigat, aut minus dare velit; nam & rerum pretia, si lege definita non sint, non consistunt in indivisibili; si autem lege definita fuerint, mediū potius rationis, quàm rei habetur, uti etiam, si paciscentes de pretio naturali conveniant, habet equidem pretium naturale latitudinem suam, atque à communi Doctorum in infimum mediū & summum dividitur, quodnam verò pretium respectu rerum etiam communium infimum mediū aut summum sit, quantaque inter ea distantia intercedat, nec cordatissimi Juri sine trepidatione decident: ut adeò vel inviti fateri cogantur, quòd etiam si justitia commutativa per se mediū rei exigat, per accidens tamen plerumque in medio rationis quiescat, haud secus, ac aliæ virtutes morales, ut vel ex solis transactionibus quotidianis, damnisque injuria datis, adeò multiplicibus abundè liquere posset. Illud sanè nunquam penetrarem, cur obedientia, ea præcipue, quam humanis debemus superioribus, mediū duntaxat rationis respicere dicatur, si justitia commutativa particularis mediū rei per se intendat? certum quippe est, longè

sæpiùs obedientiam, quàm justitiam medium rei obtinere, in præcepto enim superioris, saltem plerumque, nihil relinquitur rationi, aut arbitrio subditi: quin etiam nisi tempori determinato affixa fuerit, ad suppletionem illius, quod per ignorantiam, aut oblivionem inculpabilem omissum fuit, haud dubiè obstringit, non minùs, ac justitia.

De Differentia Justitiæ distributiæ.

137 **S**I ea, quæ n. 113. & seqq. diximus, jactaque ibi fundamenta spectemus, *objectum materiale* justitiæ distributiæ non solum proportionatam distributionem munerum, præmiorum, ac onerum communitatis, sed etiam promiscua humanitatis officia, tum à communitate civibus, tum à civibus sibi invicem exhibenda complectitur. Ideò enim cives digniores ad præmia, & munera communia jus minùs rigorosum habent, quia jus naturæ & divinum hoc ipso, quòd rempublicam benè gubernari cupiat, necessariò præcipit, ut secundum proportionem meritorum hæc munera & præmia distribuantur, atque hac ipsa ex causa civitas officiales suos ad distributionem hanc ita faciendam obligat; atqui jus naturæ & divinum, quia respicit felicitatem reipublicæ, etiam præcipiendo exigit, ut civibus exhibeantur simili cum proportione consueta humanitatis officia, non solum à communitate, sed etiam à privatis; neque enim felix aut beata esse poterit respublica, si in ea cives sibi invicem passim consueta humanitatis officia deriegent: si filii in patres impij fuerint, patres verò filiis debitam educationem subtrahant, si charitas ómnis inter cives, ac etiam inter consanguineos refriguerit, si divites & potentes pauperes & oppressos consilio, & auxilio penitus destituant, hi verò pro beneficiis gratitudinem non rependant, si pro charitate invidia, & avaritia, pro mansuetudine furor & superbia, pro modestia libido & licentia inter cives ubique dominetur: non solum igitur proportionatam munerum ac operum publicorum distributionem, sed & consueta humanitatis officia à communitate civibus, atque à civibus sibi invicem exhibenda continet justitia distributiæ, atque ad hæc ipsa in assumptione cives suos obligat communitas; sicut enim ad officium administratoris pertinet, ut munera ac onera publica debita cum proportione distribuat, ita ad officium civis pertinebit, ut suis concivibus præ exteris debita cum proportione promiscua humanitatis officia exhibeat, hoc est, ut alter alterius utilitatem, quantum comodè potest, promoveat: siquidem ad ista concivij plus juris competit quàm extero, quin & civi digniori præ minùs digno. *Objectum formale sub quo* justitiæ hujus distributiæ est jus minùs rigorosum, quod habent cives adversùs communitatem, atque adversus se invicem, ex titulo tamen privato, nimirum ob majorem aptitudinem, capacitatem, aut dignitatem; nam sicut jus rigorosum oritur ex lege mediante pacto, sic jus minùs rigorosum oritur pariter ex lege, non tamen mediante pacto, sed mediante majore dignitate. Quamvis autem administrator, ac nostris in principiis etiam civis reipublicæ ex pacto obligetur ad ritè fungendum officio suo, adeoque ad hæc ipsa præstanda; hoc tamen illorum pactum, in quo se tantum obligant ad ea præstanda, quæ jus naturæ ab illis exigit, civibus singulis jus aliquod majus tribuere nequit, quàm à jure naturæ habeant, ex hoc autem jus minùs rigorosum duntaxat habent mediante dignitate. Ut nihil dicam, quod de jure naturæ & divino ex pacto cum tertio nemini jus saltem rigorosum quæri possit. *Objectum formale quod est specialis illa honestas, quæ ex hoc ipso resultat,* quòd

quòd in distribuendis officiis ac muneribus publicis, in exhibendis humanitatis officiis ratio majoris capacitatis, aut dignitatis, idque ob bonum publicum habeatur; in quo simul habetur specialis difficultas à nulla alia virtute neque etiam ab alia Justitia superanda. Quare justitia distributiva à commutativa particulari coeterisque virtutibus in hoc potissimum discrepat, quòd illa sola moveatur ab honestate, quæ habetur in eo, quòd civibus tribuatur jus suum minùs rigorosum, fundatum in majore dignitate, & capacitate &c. cujus læsio nullam restituendi obligationem inducit. *Uti sect. 3. §. 1. dicitur.*

Justitia Vindicativa est pars Justitiæ distributivæ.

VERùm hinc aurem mihi non nemo vellicat, petítque, cur hucusque al- 138
 tum adeò de Justitia vindicativa siluerimus? ideò, inquam, quòd vindicativam hanc justitiam à distributiva non aliter, quàm partem à toto distinguere censeamus; rationes, quæ in hanc nos pertrahunt sententiam, sunt sequentes. I. Non solùm distributio munerum, & proemiorum, sed etiam onerum publicorum ad justitiam distributivam pertinent, ut plerique nobiscum docent: igitur etiam delictis proportionata poenarum exactio hanc ad justitiam reducenda erit: vel ideò maximè, quia ut habet notissimum illud axioma ex Aristotele *1. top. cap. 11. contrariorum*, qualia haud dubiè sunt meritum & demeritum, proemium & poena, *eadem est ratio & disciplina* quoad cognitionem, seu ut eleganter loquitur Cicero *Lib. 2. de oratore*. Omnium rerum in contrarias partes cognitio ex iisdem suppeditatur locis. II. Justitia commutativa non solùm exigit, ut nemo lædatur, sed etiam, ut, si quis ab altero læsus fuerit, læsio per injuriam facta compensetur: igitur etiam Justitia distributiva non solùm expetet, ut civibus benè de republica meritis proemia, sed etiam, ut malè meritis poenæ proportionatæ delictis constitutæ sint; iisque exactis injuria, communitati illata, suo modo reparetur; justitia enim distributiva, quatenus in communitate, ejusque Officialibus, imò etiam quatenus in civibus privatis quæ talibus residet, hoc ipsò, quòd eò tendat, ut bonum publicum, quod finis illius principalis est, promoveat, ac illæsum servet, necessariò etiam eò incumbere debet, ut læsum, quantum potest, reparet. III. Si Justitia vindicativa specie differret à Justitia distributiva, tunc ideò quia civis delinquens, & malè meritis de republica nullum haberet jus ad poenam, ut plerique omnes loquuntur, vel quia honestas, quæ reperitur in vindicativa, aut difficultas, quam superandam habet, specie differret ab ea, quam distributiva respicit; neutrum dici potest: non primum; ideò enim civis benè meritis, si reliquis sit dignior, aut capaciosior; jus habet ad proemia, & munia ante alios; quia jus naturæ præcipit, ut proemia & munia publica conferantur civibus dignis, & quidem magis dignis præ minùs dignis; atqui etiam jus naturæ petit ac præcipit reipublicæ & Administratoribus, ut civibus malè meritis, seu delinquentibus infligantur poenæ, & quidem graviores peioribus; & sicut civis benè meritis dignus est proemio, ita malè meritis propter delicta dignus est poena: ergo sicut civis benè meritis habet jus ad proemium, ita malè meritis propter delicta jus habet ad poenam; ut enim jus minùs rigorosum habeat ad aliquid, aliud non requiritur, quàm ut lex id illi tribui velit propter ejus dignitatem; sive deinde hæc in bonum ipsius, sive in malum cedat, modò principaliter bonum publicum respiciat. Sed neque secundum dici potest; siquidem nulla ratione probabitur, quòd

honestas, quam respicit vindicativa, specie differat ab honestate distributivæ, aut quòd novam, diversamque difficultatem superare debeat. Si enim eadem honestas, eadem difficultas habetur in elargiendis præmiis in bene meritos, ac in exigendis secundum proportionem capacitatis tributis, eadem quoque erit in exigendis multis ac infligendis pœnis; tota siquidem honestas & difficultas in infligendis & exigendis pœnis in eo sita est, quòd nec sanguinis, nec amicitia sed demeritorum duntaxat ob bonum publicum habenda sit ratio, adeoque non potius inimico quam amico, nec minus huic, quam illi infligendæ sint, si æquè unus, ac alter deliquit, quæ ipsissima videtur esse honestas, & difficultas, quæ in muneribus & præmiis distribuendis reperitur; hæc enim non amico, aut consanguineo, sed civi potius nullo necessitudinis aut sanguinis vinculo juncto, sed inimico etiam tribuenda forent, si illi meritis & capacitate prævaleat.

139 Confirmatur hæc opinio. Si Justitia vindicativa specie differret à Justitia distributiva, tunc vel reduci deberet ad Justitiam legalem seu universalem vel ad commutativam particularem, vel constitueret diversam, & quartam speciem Justitiæ, nihil horum rectè dicitur; neque enim dici potest, quòd quartam Justitiæ speciem constituat; tot enim & non plures admitti possunt species Justitiæ, quot habentur species Juris; sed species Juris tantum habentur tres, quia tribus duntaxat modis unus homo ordinari potest ad alterum; nempe ut pars ad totum, ut pars ad partem, atque ut totum ad partem; habitudinem primam, qua civis ordinatur ad rempublicam, observat Justitia universalis, quæ membra communitatis perficit in ordine ad rempublicam, illaque inclinatur, ut illi jus suum ex pacto tacito debitum tribuant: habitudinem secundam, qua civis consideratur cum respectu ad civem, respicit Justitia commutativa particularis, vi cuius unus civis alteri jus suum rigorosum titulo particulari debitum tribuere tenetur: habitudo denique tertia, qua respublica ad civem ordinatur, propria est Justitiæ distributivæ; hæc enim communitatem rectè affectam reddit ad cives, facitque, ut illis jus suum minus rigorosum secundum proportionem dignitatis tribuat: vel igitur justitia vindicativa justitia non erit, vel unam ex triplici hæc habitudine observabit: atqui nec primam, nec secundam respicit; vindicativa enim Justitia, quatenus talis est, in republica aut Imperante, qui rempublicam referat, necessariò residet, illamque, aut hunc ad subditos ordinat. Ergo aliam quam habitudinem postremam respicere non potest. Duplicem equidem hæc habitudo respectum includit, unum, qua merita, alterum, qua demerita civium considerat respublica, haud secus ac habitudo Justitiæ commutativæ duplicem respectum habet, unum, quo jus alterius integrum, alterum, quo læsum respicit: sicut autem ex posteriore hoc duplici respectu inferre non licet: igitur Justitia commutativa particularis duplex jus respicit, diversamque specie Justitiam continet, ita ex priorè malè concluderes: ergo Justitia distributiva duplex objectum, quin & duplicem specie Justitiam complectitur; eadem enim virtus est, quæ benè meritis præmia distribuit, ut bonum publicum conservet ac promoveat, & quæ malè meritis pœnas infligit, ut damnum bono publico illatum repararet, quia idem specie objectum, eundem specie finem utrobique respicit.

Concluditur ac Notatur Thomasius.

140 **A** Tque hæc divisio Justitiæ in universalem, & particularem, particularis in commutativam & distributivam, de qua hucusque satis fuse egi-

equum, vel idem nobis satisfacit, quod adaequata sit, omnemque justitiam
 complectatur, totumque simul officium hominis erga alios homines con-
 titent, sicut enim Justitia universalis officium civis erga rempublicam,
 ita Justitia particularis totum officium reipublicae, aut etiam civis erga
 civem includit, & siquidem Justitia universalis hoc uno absolvitur praece-
 pto: *salute & incolumitate aet publicae nihil rarius habeto*; haec enim medi-
 ante pacto, quo te civitati devovisti, lex jubet; justitia vero commuta-
 tiva haec fore lego conficitur: *neminem laede, suam aequae tribue*, sive ex pa-
 cto voluntario sive involuntario debeas; Justitia denique distributiva
 hac potissimum regula dirigitur: *civium bonorum aequitatem, si digni sint,*
quantum commode poteris, pro bono publico promove. Hoc lex jubet, hoc
 saltem publice exigit. *ibi, p. 17. ubi de aequitate dicitur.*
 Divisio vero Divisio haec univoca, an verò analoga dici debeat, 141
 questio est modici momenti, quae ad rem ipsam non penetrat, hinc pau-
 cis ab illa me expedio, ac censeo, dicendam esse univocam. Ita S. Tho-
 mas 2. 2. q. 62. ubi ratio est, in definitione Justitiae in genere etiam ip-
 sam jus genericè accipiendum est, nimirum prout abstrahit à jure rigo-
 roso & minus riguroso, ut vel ex terminis claret, alias enim non foret
 definitio justitiae in genere, sed in specie, & quidem illa, quam à jure ita spe-
 cificè accipio, haberet; atqui si in definitione justitiae in genere etiam ip-
 sam jus genericè accipitur, prout abstrahit à jure riguroso & minus ri-
 guroso, definitio sub eadem ratione adeoque univocè convenit specie-
 bus sub ea contentis, sive deinde hoc sive illud jus respiciant; ergo. Por-
 ro jus genericè acceptum aliud non est, quam praescribilitas, quam quib-
 favore legis habet supra alios vel praesatis respectu alicujus rei; haec au-
 tem definitio sub eadem ratione convenit juri riguroso & minus rigo-
 roso; cum adhuc omnino abstrahat, utrum praescribilitas haec oriatur ex
 lege, mediante pacto, vel tantum mediante maiore dignitate. Quae huic
 definitioni objici possunt, vide soluta *sect. seq. §. 1.*
 Finire hic de Justitia statueram, cum ecce jam denuo Thomasius 142
 etum intonat; atque de hucusque disputatis *disp. 2. Thes. 3.* ita pronun-
 tiat: *disputationes de justitia commutativa & distributiva, universali & parti-
 culari sunt Otiosi inutiles.* Quia ut Domitianus hic Eruditorum Dictator
lib. 1. de J. D. c. 11. n. 106. pro potestate sua edicit: divisio haec Aristo-
 telica ad id magis apta est, ut ingenia torqueantur, quam ut excolantur.
 Quid nos ad ista? cogor fateri, anceps fluctuo; nescio enim, an acerba
 insolentia viri hujus, alias certe eruditi, indignatione potius, an verò ad-
 miratione aut commiseratione excipienda, vel etiam omnino risu explo-
 denda sit? nihil tamen omnium ex his ago, sed id solum contendo, no-
 titiam hujus divisionis, aut saltem alterius aequipollentis omni Jcto oppi-
 dè necessariam esse; ita enim hucusque mecum ratiocinabar: finis & sco-
 pus Jurisprudentiae nostrae unicus & solus est justitia; ad hanc enim om-
 nia legum iussa diriguntur, ad hanc omnes studiorum nostrorum ratio-
 nes & conatus referri debent. *Arg. Nov. 69. in praefat.* Hinc non modò
 in Digestis sed etiam in Institutionibus primò in titulo agitur de Justitia
 & jure, ac vis illius, indoles, & natura declaratur, scribitque Ulpianus *L. 1.*
pr. ff. rob. tit. xxiij. qui juri, id est Jurisprudentiae, operam daturus est,
 ante omnia scire oportere, unde juris, seu Jurisprudentiae nomen descen-
 dat; hocque à Justitia Juris seu Jurisprudentiae objecto derivari ait. De
 quo supra n. 30. ergo qui Justitiae naturam ac indolem satis perspectam
 non habet, jurisprudens non est, quia nec objectum ejus nec finem, nec,
 unde derivetur, intelligit, nisi forte terminos, quos non penetrat, cal-
 leat:

leat: atqui nisi quis justitiæ definitionem & divisionem, quin & proprietates ejus ritè cognitas habeat, naturam & indolem justitiæ satis perspetam habere non potest: quia respectu justitiæ omnimodo sciendi destitutus erit: neque enim sine membris dividendis totum divisum, nisi confusè tantum intelligitur. Certè, nisi quis divisionem justitiæ exactè teneat, scire non potest, quæ & qualis Justitia universalis an particularis, commutativa an distributiva Jurisprudentiæ finis & objectum dici debeat; in jure enim unius tantum justitiæ mentio fit; nec quidquam de particulari & universali disortè traditum reperitur: ergo ut quæ Jurisprudentiæ habeat, ut Jurisprudens dici possit, divisionem justitiæ à nobis traditam aut aliam æquivalentem bene intelligat, oportet.

143 Sed divisio à nobis tradita ad nihil valet, nisi ut ingenia torqueat; ea nimirum, quæ ob mentis hebetudinem ad minimum etiam acumen stupent. Aut si reapse res ita se habet, cur clarissimus hic, si superis placeat, Aristotelis & scholasticorum reformator, planiorem non adduxit. Tolerabilior quidem inquit n. 106. cit. ea est divisio, qua Grotius Justitiæ in explettricem & attributricem dividit, commodius tamen & illa careremus, cum in ipsa juris divisione jam lateat. Ego verò hanc Grotiana eandem esse cum Aristotelica assero, aut tolerari non posse; fallit enim Grotius, dum *Lib. 1. c. 6. §. 8.* pactum unilaterale, sive spontaneum sive involuntarium fuerit, ut loquitur Aristoteles *Lib. 5. Ethic. cap. 2. art. 2.* ad justitiæ commutativam non pertinere ait; latius enim Philosophus solum hoc Synallagma accepit, quam Ulpianus *L. 7. §. 2. ff. de pactis* hinc possessor rei meæ ex Justitiæ commutativa eam mihi reddere tenetur quia ex pacto involuntario aut etiam voluntario tacito, tamen ad id obstringitur: quòd verò Grotiana etiam, adeoque omni justitiæ divisione commodius se cariturum dicat Thomasius, eò quòd in ipsa juris divisione jam lateat, novum planè & inauditum est; jus enim sumptum præferibilitate ex lege descendente est objectum justitiæ, paradoxum autem est, virtutem sub in objecto latere, atque includi; objectum namque tanquam specificativam in virtute, non verò virtus in objecto continetur. Ad hæc si divisio Aristotelica, pluribus explanata, ingenis torquendis apta est, aptior haud dubiè ad hoc erit illa, quæ adhuc dum in juris divisione lateat. Parùm omninò absuit, quin in eam venerim opinionem, Thomasius non multum ab Antigono seniore distare, qui irrisisse dicitur hominem, dum ipsi commentarium de Justitiæ obtulit Grotius in *Prolegom. §. 3.* sed risit etiam Epicurus, qui justitiæ nihil, nisi nomen inane reliquit, eamque ad unius utilitatis mensuram admetiendam edixit, quòd facit illud: *utilitas justì propè mater est equi.* Risit & Carneades, qui justitiæ nomine stultitiæ traduxit. Verùm non justitiæ ejusque methodica notitia, sed injustitiæ atque injuriæ alteri illata revera est summa stultitia, et cuilibet rationis capaci ex lumine naturæ constat. Ut igitur etiam de hac utpote vitio virtuti justitiæ opposito aliquid saltem attingamus, Sit

CONTROVERSIO III.

Quo sensu vera sit illa Juris Regula: scienti & consentienti non fit injuria?

144 **I**njuria prout hic sumitur aliud non est, quam violatio juris alieni; quòd si læsio hæc fuerit voluntaria, atque cum advertentia lædentis contingat, injuria formalis; si verò jus alterius lædatur absque voluntate & ad-

veritate ledentis, materialis injuria dicitur à Theologis: potest autem utroque hoc modo violari jus alienum non solum rigorosum & perfectum, ut si quis ab altero ledatur in bonis fortunæ, corporis, honoris & famæ, sed etiam minus rigorosum & minus perfectum, prout fieret, si respectu unius aut alterius in distributione præmiorum & munerum publicorum ratio meritorum non haberetur: violatio juris perfecti continet injuriam proprie dictam, trahitque post se obligationem rigorosam restituendi ob pactum tacitum, vel potius involuntarium, ut illud Aristoteles appellat; & quidem in violatione honoris & famæ obligatio hæc per se stringit, sive læsio fuerit formalis, sive materialis; nisi enim proportionata restitutio fiat, læsio hæc semper continuaretur: contra verò in violatione bonorum fortunæ & corporis, etsi non detur obligatio restituendi casu, quo lædens inde non sit factus dior, si læsio mere materialis, ac sine omni culpa fuerit; datur tamen obligatio restituendi; si læsio formalis fuerit; & quidem ante sententiam, si læsio contineat peccatum Theologicum grave, vel etiam leve plene deliberatum, cum advertentia ad gravitatem materiale. Si autem læsio hæc ex culpa Theologica veniali non satis deliberata, aut ex culpa mere juridica contigerit; refertur, ut culpa illa admissa sit in vel extra contractum: si in contractu, & culpa talis fuerit, quæ ex natura contractus præstanda venit, etiam hæc obligatio restituendi ante omnem sententiam urgebit, prout probatum invenies in *tr. de pact. cap. 6. §. 2.* si extra contractum ex communiore & veriore Theologorum non quidem ante sententiam, bene tamen post sententiam datur obligatio restituendi, non solum in conscientia, sed etiam pro conscientia. Longè aliter se res habet in violatione juris minus rigorosi, hæc enim præterquam quòd injuriam proprie dictam non continet, nullam imponit obligationem restituendi, eo quòd jus minus rigorosum non tribuat facultatem rem illam, ad quam dignior jus habere dicitur, efficaciter petendi: igitur multò minus poterit illam ab alio, cui contra justitiam distributivam concessa est, repetere.

Jam verò difficultas est, utrum aliquis patiatur injuriam, qui sciens vult illud pati, quòd aliis ipsi injuriosum foret: si *ci. 27. de R. J. in 6.* ex quo regula præfixa desumpta est, inspiciamus, negativa sententia decisa videri posset; ait enim ibidem Pontifex: *sciens & consentiens non fit injuria neque dolus.* Idem ferè habetur *L. 145. ff. eod. tit.* ibi: *nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiant.* Quòd ipsum Aristoteles *Lib. 5. Et. hic. cap. 9.* & S. Thomas *2. 2. q. 39. a. 3.* lumine naturæ notum esse supponunt. Ne tamen sensus hujus Regulæ contra mentem utriusque Legislatoris pervertatur, aliò in animum demittendum, regulam hanc intelligi non posse de voluntate permissiva; aliàs enim Deo, qui in peccatis nostris permissivè se habet, nunquam inferretur injuria, quòd tamen aperte contra sacram scripturam pugnat: videatur Cardinalis de Lugo de *Incarnat. disp. 3. sect. 4. n. 68.* quia imò regula hæc intelligi non potest de quacunque voluntate positiva, & desiderio illius mali seu injuriæ; sic enim etiam si maritus ex animo iniquo, ut divertere ab uxore possit, omni modo desideraret, ut conjux adulteretur, nihilominus illi fieret injuria: idem est, si Judex optaret, damnum sibi ab aliquo inferri, ut illum punire possit; adhuc enim foret invitus, quantum sufficit ad injuriam; ad hanc quippe necessarium non est, ut velit directè retinere rem illam, quam fur auferre, sed ut velit jus suum in rem illam, nec illo cedere, sed obligare titulo justitiæ furem ad eam non auferendam, quæ voluntas stare potest cum volitione ipsius rei & cum desiderio furti, ut in-

de habeat aliquod majus emolumentum vel occasionem futuri pretiandi. Ad hoc ipsum declarandum plura servire possent exempla, ponere enim Titium equum denocem, quem retinere amplius non vult, veniente, in hoc jam casu, licet Titius positivam habeat voluntatem equum non retinenda, emptor tamen haud dubie illi inrogaret injuriam, si eum gratis nihil soluto pretio acciperet; nam etsi venditor equum hunc amplius retinere nolit, is tamen ad equum tandem retinere cupit, donec illi pretium solvatur, aut fides de solvendo facta sit, eadem fere modo malitius inposito casu desiderat quidem adulterium conjugis, quatenus jure suo cedens nolit, sed conjugem obliget, ut datam servet fidem, ut ex aliquo verio, quod intendit, manifestum est: Judex desiderat rem aliquam sibi a fure surripit, jure tamen suo, quod habet in rem illam, non cedit, sed obligatum vult surcipiorem ex iustitia, ne illam fraudulentus attingat, prout ex poena de compensatione inschta liquet: verbo maritus vult adulterium sibi injuriosum, Judex rei suae ablationem injustam, quae voluntas non excludit sed includit injuriam, hinc *L. per. ff. de furti* dicitur *si Dominus furem potuit prohibere, & non prohibuit, nihilominus furti agere*. Sensus igitur Regulae hujus est, *Ille, qui aliquid prode intelligit, & voluntate juris sui abdicativa consentit, non fit injuria nec dolus*. Verum hoc etiam datur, si quis aliquid prode intelligit, & voluntate juris sui abdicativa consentit, non fit injuria nec dolus.

Propositor difficultatis

146 **N**on levis foret difficultas in regula hac nostra, nam I. Etiam si Maritus voluntate juris sui abdicativa consentiat in adulterium uxoris, tamen illi fit injuria tam ab adultero, quam ab adultera, consensu enim hoc non obstante uterque committet adulterium, ut clarum est ex Propositione 30. damnata ab Innocentio XI. qua ita habet: *Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit dicere in confessione, se esse fornicatum*. Sed si copula consentiente marito habita est adulterina, & non tantum fornicaria, uterque peccans infert marito injuriam, tota quippe malitia, quam adulterium simplici fornicationi superaddit, consistere videtur in violatione juris maritalis, seu juris, quod habet maritus adversus conjugem: ergo etiam si maritus in adulterium conjugis, voluntate juris sui abdicativa, consentiat, nihilominus patitur injuriam, nec minus

247 - **I**. II. Etsi Clericus voluntate, juris sui abdicativa, consentiat in sui percussione, forte uti percipienti, quem offendit, hac ratione satisfaciat, percussio haec Clerici nihilominus injuriosa est, ut in terminis decisum habemus. C. 36. *de sent. Excom.* nam etsi, Pontifex de hoc ipso casu loquatur, tamen subjungit: *hujusmodi manus injectio est non violenta, tamen injuriosa videtur*. Ac paulo post addit: *si quis autem Clericus post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit* (nimirum percussionibus aliorum) *excommunicetur*. Igitur etiam injuria fieri potest illi, qui voluntate, juris sui abdicativa consentit: Clericus enim, qui se percussioni alterius, a se offensusi subicit, ut illi quomocunque satisfaciat, haud dubie juri suo, & privilegio rationis, quantum in se est, renuntiat. Eadem fere difficultas est, si quis Religioso scienti & consentienti graviter detraheret.

148 - **I**. III. Christus Dominus ac SS. Martyres a tyrannis & tortoribus veram passi sunt injuriam, ut colligi videtur ex illo sapientiae, *si stabunt iustitia magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt* &c. & tamen in tormenta ac mortem suam consenserunt voluntate juris sui abdicativa, sustinuerunt enim haec omnia alacri & libentissime animo, & Christus qui-

quidem desiderium suum, quo in passionem ferebatur, satis apertè expressit, dum dixit: *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor usque dum perficiatur* Lucæ 22. v. 30. huc etiam facit illud Isaïæ 50, vers. 6. *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Threnorum 3. *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Sancti verò Martyres haud dubiè exemplum, quin & consilium Evangelicum Christi secuti fuerint, adeoque jure suo ad vitam & honorem propter Deum cesserint; conformiter illi Matthæi 5. *Siquis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. & ei, qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Ut vel ex eo manifestum sit, quòd ad exemplum Christi non solum injurias patienter sustinuerint, sed eas etiam condonarint, quod sine cessione juris sui nunquam explicabitur. Et nunquid Amalecites ille *Lib. 2. Reg. c. 1.* injuriam fecit Sauli, quod ipsum consentientem volentemque interemerit? fallit igitur haud dubiè nostra hæc juris regula.

IV. Etiam si pupillus in rerum suarum alienationem voluntate, quantum in se est, juris sui abdicativa consentiat, nihilominus illi fit injuria, nisi tutor aut etiam judex auctoritatem suam interponat; neque enim hujusmodi alienatio subsisteret, sed alienatarius ante omnem sententiam utroque in foro teneretur ad restitutionem accepti, per ea, quæ dixi *in tr. de pact. cap. 3. sect. 3. §. 3.* quæ obligatio restitutionis supponit injuriam factam fuisse pupillo. Idem ferè argumentum fieri posset de filia, si hæreditati paternæ renuntiet, aut de uxore, si in alienationem fundi dotalis consentiat &c. quia etiam renuntiatio hæreditatis simplex ipso jure nulla est *L. fin. ff. de suis & legit. hæred. L. 35. §. 1. C. de inoff. test.* nulliter quoque consentit uxor in alienationem fundi dotalis *J. pr. Quibus alien. non licet.* In his ergo ac pluribus aliis casibus, in quibus à Jure positivo irritatur consensus, scienti etiam & consentienti injuria fiet.

V. Usurarius, & Simoniacus faciunt injuriam illi, à quo pro mutuo vel beneficio pretium exigunt, & tenentur ad restitutionem, quamvis à sciente & volente pretium datum sit. Usurarius enim usuras accipit sine omni titulo, sola autem traditio non sufficit ad acquirendum Dominium *L. 31. ff. de acquir. rer. dom.* idem est de Simoniacis; collatio siquidem beneficii Simoniaci irrita & nulla est *Extravag. 2. de Simon.* unde sicut beneficium non acquirit is, cui traditum est, ita nec pretium acquirit sacrilegus venditor: igitur etiam scienti, & quantum in se est, juri suo cedenti injuria inferri poterit, & consequenter regula hæc omnino rejicienda, vel tot exceptionibus limitanda erit, ut vix non penitus exhauriatur,

Referuntur Responsiones Aliorum.

RETINendam esse hanc regulam, facilè conveniunt Doctores, eam tamen exceptionibus suis ad instar aliarum Regularum restringendam contendunt; nec immeritò, ut videri posset, quia si nulla regula sine exceptione, neque hæc ab exceptionibus immunis erit: quòd si igitur genuinum Regulæ hujus sensum petas, communissimè hunc illi adstruunt: *scienti, & voluntate juris sui abdicativa consentienti non fit injuria, neque dolus, si voluntas hæc efficax, nec à jure inhabilitata fuerit.* Atque hoc ipsum ut ajunt, ratio manifesta evincit; neque enim injuria locum habere potest, ubi agenti jus non resistit: siquidem injuria est violatio juris alieni; sed quando alter jure suo cedit voluntate efficaci, nec à jure inhabilitata, jus illi non resistit, imò pro tali actu moraliter non existit, sed est sublatum vel

*

Y

su-

suspensum: ergo. Contra verò si quis consentiat invalidè & inefficaciter, voluntas hæc affectivè tantùm non verò effectivè est cessiva juris; cessio autem Juris merè affectiva nec tollit, nec suspendit jus, sed illud omnino intactum relinquit, utpote moraliter nulla, quod verò nullum est, nullum parit effectum *L. 8. §. 2. ff. de bon. poss.* ergo scienti ac invalidè & inefficaciter consentienti fieri poterit injuria; quia jus ejus manet, & consequenter actio alterius erit contra jus ipsius, adeoque injuriosa.

152 Ad casus tamen supra positos non eadem est omnium responsio; aliqui enim, ut difficultatem, quæ in applicanda hac regula invenitur, evitent, unica responsione millenos hujus modi casus eludunt potius, quàm solvunt: vel enim, inquiunt, hi aliique plures jure suo cedere possunt, ac validè & efficaciter etiam cedunt, & nulla ipsis fiet injuria: vel contra non cedunt hoc jure suo, aut etsi, quantum in se est, illo cedant, cessio tamen hæc nec efficax, nec valida est, eò quòd ex legis dispositione cessio talis vim aut efficaciam non habeat, & non obstante hac cessione actio alterius ipsis injuriosa erit. Sed quàm expedita hæc via est, tam parùm apta est Regulæ; regula enim ex natura sua practica est, ritèque intellecta practicè pandit, qui casus in ea contenti, aut ab illa exclusi, adeoque ad amissim ejus decidendi sint. Nisi igitur dato etiam hoc sensu regulæ, quis probè intelligat, quid sit consensus de jure validus & efficax, quando & ubi haberi possit? nunquam hanc regulam tenebit; quia nunquam vim ejus practicam penetrabit, sed in vana & inutili speculatione hærebit, sicque tam parùm Jcti nomen merebitur, quàm parùm architectus dici potest, qui regulam quidem habet, nunquam tamen eam applicat, nec, ubi, & quando applicanda sit, satis novit.

153 Alii cum Cardinali de Lugo *de J. & J. Disp. 8. sect. 1. item de Incarnat. disp. 3. sect. 4. §. 5. & 6.* Ulterius progrediuntur, regulæque hac applicata docent, nec marito à conjugè vel adultero, nec Clerico à percussore, nec Sauli ab Amalecite interfectore injuriam factam censerì, si quantum in ipsis fuit, juri suo cesserint, quia ut discurrit citatus Cardinalis, etsi hæc cessio inhonesta, adeoque prohibita sit, nullo tamen jure irrita ac nulla pronuntiatur, & consequenter efficax & valida erit: eo ferè modo, quo venditio, qua quis se ipsum absque justa & gravi causa alteri in servitutem vendit, illicita, valida tamen est non solum de jure naturali sed etiam positivo humano. *L. 1. ff. quibus ad libertat. proclam. L. 7. ff. de liberal. caus. L. 5. §. 1. ff. de stat. hom. §. 4. Inst. de J. P.* aut, quo matrimonium cum voto simplici castitatis initum illicitum non tamen invalidum est. *C. 3. 4. 6. qui Clerici vel vovent. C. un. de vot. in 6.* Contra verò negat purpuratus hic Doctor *de Incarnat. disp. 3. sect. 6.* Christum Dominum ac sanctos Martyres jure suo, quod habebant ad vitam, unquam cessisse, quamvis illi omnino renuntiare potuissent, & quidem ex causa & titulo longè honestiore, quàm alii ex vitæ tædio aut desperatione id fecerint. De pupillo sine autoritate tutoris donante, de filia simpliciter renuntiante hæreditati paternæ, de muliere consentiente sine juramento in alienationem fundi, suppositum negat laudatus Cardinalis; hi enim consensu suo per leges irritato nec efficaciter nec validè jure suo cessere. Mutuans denique ac Simoniacus emptor ex ejusdem auctoris fundamentis per se ac regulariter jure suo nec spontè nec plenè liberè cedunt, ut patebit ex dicendis *ad quintum.*

154 Verùm etsi in posterioribus de pupillo &c. libens subscribam opinioni profundissimi hujus Theologi, multò probabilius tamen mihi videtur, etiam maritum in adulterium uxoris, Clericum in gravem sui percuss-

cussionem, ac alium quemcunque in occisionem sui nulliter omnino consentire. Sic autem argumentor: ideò pupillus &c. in alienationem absque tutore factam inefficaciter ac nulliter consentit, quia cessio ejus de jure positivo irrita & nulla est; atqui etiam consensus mariti in adulterium uxoris, Clerici in sui percussione, aut alterius in sui occisionem saltem per se non solum jure positivo, sed etiam jure naturali irritus & nullus est; talis enim consensus, si validus foret, acceptationem alterius, adeoque pactum supponeret; pactum autem de re aut facto turpi, seu prohibito non solum jure positivo *C. fin. de pact. l. 26. & l. 123. de V. O.* sed etiam jure naturæ nullum & irritum est, quia pactum æquè parùm ac juramentum potest esse vinculum iniquitatis ut dixi *tr. de pact. cap. 4. sect. 3. §. 2.* quin imò ideò pactum dere, aut facto turpi omni jure nullum est; quia paciscentium consensus in rem prohibitam vim, aut efficaciam habere non potest. Ergo mariti Clerici aut Occidendi consensus haud dubiè inefficax & invalidus est.

Dixi tamen *per se*: per accidens enim & casu, quo cessio hujus modi sine peccato cedentis fieri posset, major est difficultas; finge enim Maritum omnibus adhibitis uxorem à committendo adulterio avertere non posse; aut uxorem ideò tantùm adulterari velle, ut maritum injuria afficiat, non commissura adulterium, si sciret maritum invitum non esse; tali quippe casu maritus consentiendo nullatenus peccaret; in priore enim casu nulla ratione peccatum, ad quod uxor obfirmata est, faciliteret, sed solum faceret, ut uxor minùs peccaret, non contrahendo malitiam injuriæ in maritum; in posteriore verò casu peccatum omnino impediret, si tamen, ut ponitur, ideò tantùm adulterari vellet uxor, ut maritum injuria afficeret: atqui si cessio hæc peccatum non continet, illicita non est, si illicita non est, nullo jure irritata erit: ergo saltem per accidens maritus validè cedere potest hoc jure suo. Similes etiam casus fingi possunt de Clerico percutiendo, aut alio quocunque ab altero occidendo. Nihilominus tamen tali etiam casu probabilius nulla est hæc cessio. Ratio est. Ut promissio alteri facta, etiam licita, sit efficax & valida, debet etiam esse licita ejus acceptatio, tum quia promissio regulariter obligatoria, non est, sine acceptatione *L. 10. ff. de donat.* tum quia acceptatio juris aut rei illicitæ nulla est, non minùs ac promissio illicita, ut manifestum fit ex promissione mutuatarii usuras promittentis; hæc enim etiamsi licita sit, tamen quia acceptatio usurarii illicita, adeoque nulla est, nullius est roboris, nec vim aut efficaciam habet; ita ut mutuatarius usuras promissas solvere non teneatur, nisi fortè promissionem suam juramento firmasset, quo casu illas ex virtute religionis duntaxat solvere tenetur, potestque solutas statim iterum repetere *C. 6. de jurejur.* ergo etiam consensus alteri datus efficax esse non potest, nisi alterius acceptatio subsistat, adeoque licita sit; aliàs acceptans ex tali consensu posset acquirere jus ad aliquid illicitum, quod implicat. Sed uxor acceptando hunc mariti consensum indubitato peccat, quia jus quærit ad rem illicitam: ergo nulliter acceptat: si autem nulla & irrita est acceptatio uxoris, nullus etiam erit consensus mariti, utut licitus. Falleris tamen, si putas, ex hoc ipso inferri posse, Marito, ac reliquis, in casibus præfixis, adductis, etiam scientibus & consentientibus formalem fieri injuriam contra Regulam controversam; sensus enim illius alius omnino est, quàm illi à plerisque tribuatur. Hinc

Statuitur nostra sententia.

156 **R**espondeo & Dico: sensus genuinus hujus regulæ est; *scienti & consentienti, hoc est, quantum in se est, jure suo cedenti, nunquam fit injuria formalis, sive deinde cessio de jure valida, sive invalida fit: contra verò si cessio de jure inefficax & invalida fit, scienti etiam & consentienti injuria materialis infertur.* Prior pars hujus asserti regulam explicat, posterior verò exceptionem communiter fieri solitam continet, simulque ostendit, illam re ipsa exceptionem hujus regulæ non esse: exceptio enim est oratio, quæ de regula detrahit, detrahi autem ex regula non posset, quod in illa non continetur; in regula autem hac non continetur injuria materialis, sed formalis duntaxat: neque enim dubitare licet, quòd scienti etiam, & consentienti materialis injuria fieri possit, ut millenis in casibus ostendi posset: igitur si Pontifex in *c. 27.* & Ulpianus *L. 145. cit.* regulam nobis tradere voluerunt, de injuria formali tantum loqui potuerunt; sicut enim scienti & consentienti dolus inferri non potest per *L. 34. C. de transf.* ita injuria formalis per hanc regulam inferri nequit: ut adeò si rem penitius inspicere velimus, duplex necessario injuria formalis admitti debeat, una simpliciter talis, quando scilicet deliberatè jus alienum violatur non solum lege prohibente, sed etiam invito domino, altera secundum quid talis, si violatio hæc quidem fiat lege prohibente, domino tamen non invito, licet invalidè consentiat, quo casu legi quidem injuria formalis, domino verò injuria tantum materialis infertur. Et injuria quidem materialis fit domino invalidè consentienti, quia cessione hac non obstante, lex, unde obligatio descendit, nihilominus stringit, jusque cedentis, quantum in se est, illæsum cupit; non verò fit illi injuria formalis, quia jure suo sciens & volens cedit, & licet ob legem irritantem invalidè cedat, lex tamen hæc facere non potest, ut, dum actu renuntiat juri suo, habeat facultatem alterum in commodum sui beneplaciti obligandi, hinc materialiter solum non formaliter retinet hoc jus suum, adeoque materialiter non formaliter violatur, nec læsus de injuria formali conqueri potest. Atque de hac injuria, si nostra hæc juris Regula intelligatur, verissima omnino est, non solum si quis validè, sed etiam si invalidè jure suo cedat. quare

157 Probatur hæc nostra opinio I. Authoritate, & ratione Aristotelis & Divi Thomæ; & Philosophus quidem, ex quo haud dubiè Ulpianus hanc regulam desumpsit, ut coeteri Jcti alias *Lib. 5. Ethic. c. 9. tex. 8. ait. Leditur ergo aliquis, & aliquid perfert sua spontè, sed suapte sponte injuriam accipit nemo &c. nemo enim vult, quod bonum esse non existimat* hinc ille apud Euripidem, qui de occisa à se matre interrogatus respondit. *Matrem ut meam occiderim, paucis loquar, volens volentem, vel volentem non volens.* Ex mente Aristotelis non formalem, sed materialem injuriam duntaxat matri intulit, injusta non injustè egit, quia ut caput illud claudit Philolophus; *injuria affici non esse spontaneum, manifestum est, aliàs etiam, qui sua ipsius dat, sicut Homerus dicit, Glaucum dedisse Diomedæ aurea pro ferreis, ac pro centena novennis injuria afficeretur, quod falsum esse dicit Aristoteles, cum in ipsius potestate sit dare.* S. Thomas verò *2. 2. q. 59. art. 3. in corp. dicendum est, inquit, quod injustum per se & formaliter loquendo nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens, per accidens autem & quasi materialiter loquendo potest aliquis id, quod est de se injustum, vel facere nolens vel pati volens, sicut cum aliquis plus alteri dat sua voluntate, quam debeat.* Ratio S. Doctoris est, quia

quia illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem suam patitur, quia in quantum est volens, principium est ex se ipso, & idè, in quantum est hujusmodi, magis est agens, quam patiens. Et ut in argumento sed contra dixerat, quod injustum pati est oppositum ei, quod est injustum facere; sed nullus facit injustum nisi volens: ergo per oppositum nullus patitur injustum nisi volens. Ergo juxta Aristotelem & S. Thomam scienti & quantum in se est, consentienti; five deinde validè five invalidè consentiat, nunquam fit formalis injuria; quia illud sponte tanquam sibi bonum eligit; per illud autem, quod quis eligit, injuriam non patitur.

Probatur II. Invito beneficium non datur, ut habetur *L. 69. ff. de 158*
R. J. hoc est, ut rectè explicat Esparza beneficium in speciali ratione beneficii, five formaliter, non confertur invito, quia beneficium, ut beneficium, debet esse gratum, & juxta complacentiam accipientis, & sine molestia, quam afferret, si esset invitus, vel ut Glossa loquitur. *Beneficium affert gaudium capienti, invitus autem nemo gaudet.* Nec obstat *L. 6. ff. de Appellat.* ex qua etiam invito illo, qui ad supplicium ducitur, contra sententiam in ipsum latam cuicumque alteri provocare licet. Neque §. 1. *J. de hered. qual. & different.* ubi dicitur, quod servus à Domino hæres institutus nolens volens hæreditatem adire teneatur; aut alia hujusmodi jura, ubi per leges aliquid vel in invitos confertur; ut enim taceam in hujusmodi beneficiis, quæ invitis obtruduntur, non tam accipientes, quam rempublicam spectari, beneficium hoc respectu invitorum materiale non formale est; non enim est beneficium formale, quod recusanti ingeritur, ut scribit Lactantius *Lib. 5. Inst. cap. 20.* quia hoc non est beneficium dare, sed imperare, ait Seneca *Lib. 2. de benef. c. 18.* & paulò post subdit: si necessitas tollit arbitrium, scias, te non accipere, sed parere: Nemo id accipiendò obligatur, quod illi repudiare non licuit. Igitur etiam scienti, & quantum in se est, consentienti formalis injuria non infertur, licet sæpè injuria materialis illi inferatur; siquidem beneficium & injuria contraria sunt, ut est apud Senecam *Lib. 5. de benef. c. 22.* contrariorum autem eadem est ratio, ut jam *n. 138.* dictum. Nam sicut beneficium formale liberum & gratum esse debet accipienti, ita injuria formalis nec libera, nec grata esse debet patienti. Neque enim injuriam formalem tibi factam fuisse conqueri poteris, si quod optabas, aut volebas, obtineas.

Probatur III. Casu quo Prælati vel alius superior invalidè dispen- 159
 fat in lege, licèt peccetur in legem, non tamen peccatur in Prælatum invalidè dispensantem, adeoque illi à transgressore non fit injuria saltem formalis; neque enim in Pontificem v. g. formaliter injurius dici posset, qui dispensatione invalida, ab ipso sine fraude & dolo obtenta, aut etiam ultro oblata uteretur, nisi fortè ex alia ratione, dispensatione illa non obstante, invitus præsumeretur: ergo etiam alteri cuicumque jure suo, quantum in se est, licèt invalidè cedenti injuria formalis non fiet, modò non aliunde præsumi possit, eum, cessione non obstante, invitum esse; nihil enim fieret contra ejus voluntatem. Enim verò si ex communi Doctorum eò major alicui injuria fit, quò magis invitus est, dum jus ipsius læditur, nulla formalis injuria fiet illi, qui nulla ratione invitus est, sed sponte, quantum in se est, jure suo omnino cedit: in rempublicam, in legem ac alios fortè, non verò in ipsum cedentem injurius est: nulla est hæc cessio, si effectus illius à jure irritatos spectemus, sed injustè acceptum restituere tenetur, modò restitutio locum habeat: ubi autem hæc cessio quo ad injuriam formalem, per deliberatam juris violationem personæ ceden-
 *
 Z
 tis

tis inferendam, irritata fuerit, nunquam ostendent adversarii: imò regula hæc nostra, si tamen regulæ nomine adhuc digna habeatur, oppositum probat; dicit enim: *scienti & consentienti non fit iniuria, nempe formalis*, nihil verò dicit de injuria materiali, invalidè cedenti in rebus ac jure suis, vel etiam formali legi reipublicæ ac aliis interesse habentibus inferenda.

160. Confirmatur. Certum videtur, nec inficiantur adversarii, minorem coeteris paribus injuriam inferri illi, qui sponte omnino sciens, volensque jure suo cedit, etsi cessio inefficax & invalida sit, quàm illi, qui ad sui læsionem omnino invitus est: igitur per hujusmodi cessionem, utut invalidam; jus aliquod læsi tollitur & suspenditur; non posset autem explicari, quid & quale sit illud jus, quod tollitur, aut suspenditur, nisi dicitur, quod sit jus personale, quod quilibet habet, nè in rebus suis invitus lædatur; duplex enim jus cuilibet competit respectu bonorum fortunæ corporis, & honoris, nimirum ne in illis lædatur, & ne invitus lædatur; primum illud supposito quòd lex cessionem irritet, abdicabile non est; alterum verò, cum ejus cessio nullibi irritata sit, haud dubiè abdicari poterit. Si dicas per cessionem hanc invalidam minui quidem non tamen omnino tolli injuriam formalem respectu ipsius cedentis, fateris, non obstante lege irritante valide juri huic posteriori saltem ex parte renuntiare; materialis enim injuria per cessionem hanc nullatenus minuitur; si autem juri huic suo ex parte renuntiare potest, non est ratio, cur id in totum abdicare non possit; siquidem lex irritans vel nullatenus vel in totum irritat cessionem, quo ad jus illud posterius. Ex his jam haud difficulter

Respondetur ad Casus propositos.

161. AD I. Nego Marito suapte sponte consentienti in adulterium uxoris fieri injuriam formalem, fit tamen formalis injuria Legislatori humano & multò magis Divino, utpote perfectissimo corporum humanorum Domino; neque enim hic aliam homini in corpus suum potestatem concessit, quàm ut usum illius ad propagandam speciem & generationem prolis per matrimonium alteri, & quidem uni duntaxat concedere possit; hinc voluit, ut sint *duo in carne una Gen. 2. & Matth. 19.* hoc est, ut conjuge hoc vivente alteri non adhæreat, in quo bonum fidei Deo debitæ, quod matrimonio substantiale dicitur *c. fin. de cond. appositis*, quin etiam in matrimonio duorum fidelium significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia. *ad Ephes. 5.* consistit. Atque in violatione hujus unitatis & fidei specialis malitia adulterii consistit, non verò in violatione fidei marito debitæ; aliàs hæc conditio matrimonio contrahendo adicta *si adulterandam te tradas*. De qua *c. fin. cit.* non posset dici pugnare contra bonum fidei; ut vult Glossa communiter excepta *V. substantia*; tali enim casu conjux adulterando nihil ageret contra fidem marito datam: quin imò adulterium fidelium ob violationem illius significationis diversum specie peccatum continet, ut docet Cardenas *in Cris. Theolog. diff. 30. n. 5.* atque hinc extra omne dubium est, copulam extra matrimonium adulterium esse; etiam si altera pars sponte consentiat, ac merito confixam fuisse scandalosam illam incerti Auctoris propositionem, quam *n. 146.* adduximus. Adulterium tamen hoc specie differre videtur ab alio, quod marito invito committeretur; hoc enim etiam includeret formalem injuriam contra maritum, non verò illud. Hinc in Confessione exprimendum fo-

foret, ſi conſentiente marito patratum fuiſſet; alias enim conſeſſarius jure præſumeret, etiam marito formalem injuriam factam eſſe. Et verò formalem injuriam per adulterium uxoris marito ſponte conſentienti non inferri, deſumi etiam videtur *ex c. 6. de eo, qui cogn. v.* ubi habetur, quòd maritus jus divertendi non habet, ſi jure ſuo cedendo conjugis anſam adulterandi præbeat, quòd ſtatui ſalvis aliis juribus non poſſet, ſi non obſtante ceſſione injuriam formalem pateretur maritus. Et nunquid, ſi Dominus alicui uſum ſervi pro certis operis concedat, hic verò illum conſentientem alteri ad eaſdem operas elocet contra *ſ. 1. J. & L. 8. pr. ff. de uſ. & habit.* injuria formalis ſervo non inferitur, ſed ſoli Domino ſervi, quòd utens & ſervus contra leges contractus ab illo initi venerint: ergo etiam marito in adulterium uxoris conſentienti non inferitur formalis injuria, ſed ſoli Deo pleniffimo corporum Domino, qui marito corpus conjugis ad uſum tantum conceſſit: Jus enim conjugale, quòd Maritus ex contractu matrimoniali acquiſivit, nihil aliud eſt, quam ſpecies ſervitutis uſus, ſeu eſt jus utendi conjugis corpore, in quantum id ad finem matrimonii ſeu generationem proliſ neceſſarium eſt, ut dicatur *Controvers. 5.*

Ad II. Nego iterum antecedens, quòd percuffio hujus modi Clerico ſponte conſentienti formaliter injurioſa ſit. Percuſſionem talem Pontifex *c. 36. cit.* non obſtante conſenſu Clerici injurioſam eſſe aſſerit, ſed ordini Clericali, non Clerico conſentienti, ut patere videtur ex ratione adjecta, quæ hæc eſt, quòd privilegium canonis non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatum. Eſt quidem Clericus hic etiam ipſe pars ordinis clericalis, illi tamen etiam quæ tali percuffio hæc formaliter injurioſa non eſt, ſed ad ſummum materialiter; quia hoc ipſo, quòd ceſſio hæc objectum prohibitum reſpiciat, de jure nulla eſt, ſicque percipienti jus nullum tribuere poteſt, adeoque ipſa invalidè conſentientis jus lædet, ſaltem materialiter non formaliter, quia ſponte ſua conſenſit, cujus conſenſus etiamſi irritus ſit, effectus eſt, quòd injuriam formalem reſpectu cedentis tollat; nemo enim in eo, quòd vult, formalem patitur injuriam, & hinc, quia ut Pontifex *C. 36. cit.* ait, percuffio hæc *violenta* non eſt, probabilius hujusmodi percuffor non incurrit ipſo facto excommunicationem canonis *29. cauſ. 17. q. 4.* tum quia in hoc canone requiritur, ut quis violentas manus Clerico injecerit, tum quia *c. 36.* ſolum ſtatuitur juxta lectionem, quam refert Gonzalez: *ſi quis Clericus poſt prohibitionem hujusmodi ſponte ſe ſubjecerit*, nimirum percuffioni alterius, *excommunicetur uterque* ſcilicet percuffus & percipientis, adeoque non ipſo jure erit excommunicatus percipientis: & quòd inde conſequens eſt, minus cenſetur peccare, quam ſi invitum percuffiſſet: non autem minus peccaret, ſi ceſſione non obſtante formalem injuriam Clerico cedenti inferret, ut ex confirmatione liquere poteſt.

Quòd additur de gravi detractioe Religioſo ſcienti & conſentienti facta, ſi orta inde infamia non cedat in dedecus Religionis, difficultatem habere vix poteſt; cum enim Religioſus per profeſſionem nullatenus renuntiet Dominio honoris & famæ ut poſt S. Thomam *2. 2. q. 186. ad 4.* habet probabilior opinio, non ſolum per ſe reſtitutionem honoris & famæ licitè & validè negligere, ſed etiam in detractioem, caſu, quo ſine peccato ab alio fieret, antecedenter conſentire poſſet; ſi verò nec abſque peccato alterius, nec ſine dedecore religionis fieri poſſet, uti plerumque accidit, nec licitè nec validè in gravem detractioem conſentiret; ipſi tamen, ſi quantum in ſe eſt, jure ſuo crederet, formalis injuria non fieret,

benè tamen Ordini, ut de Clerico dictum: & nunquid si unus unicùs ex aliqua Religione superesset Religiosus, hícque jure suo plenissimè cederet, nulla illi fieret injuria formalis?

163. Ad III. Ajo cum Lessio *Lib. 2. cap. 7. dubio 3.* ubi per totum nostram opinionem defendit, Christum Dominum ac sanctos Martyres jure suo ad vitam non cessisse. Ratio hoc dicendi est; quia nulla apparet congruentia, Christum Dominum, ac sanctos Martyres defacto cessisse jure ad vitam; per hanc enim cessionem non minuebatur culpa carnificum, cum ignorarint illam cessionem internam, illorumque affectus habuerint malitiam injustitiæ: aliunde verò melius erat Christo Domino, ac SS. Martyribus pati veram & propriam injuriam, ut major esset eorum passio ex parte objecti; plus enim est pati dolorem & injuriam, quam dolorem solum, ut per se clarum est: ad quid igitur præsumenda est illa juris cessio. Supposito Judæorum, ac Tyrannorum iniquo odio ac peccato Christus Dominus ac SS. Martyres desiderio desiderarunt, alacrique ac patienti animo sustinuerunt tormenta ac mortem; Christus quidem, ut æterni Patris voluntati se magna animi promptitudine subiceret, suamque illi dilectionem contestaretur, atque hoc solum verba illa Christi textusque ex Isaia & Jeremia, non verò juris cessionem evincunt; SS. Martyres verò ut Christi exemplum & Consilium Evangelicum in objectione adductum sequerentur; exemplum autem hoc & Consilium Christi non erat de cessione juris in vitam ac membra, sed de animi promptitudine, qua quis paratum se offert ad mortem ac tormenta, pro Dei gloria patienter toleranda, ut satis apertè innuitur per verba, consilio illi Evangelico præmissa: *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Quòd verò Christus ac Martyres tyrannis & tortoribus injuriam condonarint, ac pro illis orarint, potius probat illis injuriam etiam formalem irrogatam fuisse; si enim injuriam non accepissent, eam condonare ac pro ejus apud Deum remissione orare non potuissent. Ad hæc etiamsi Christus Dominus potuisset efficaciter abdicare jus ad vitam juxta illud Joannis 10. v. 18. *nemo tollit eam (animam) à me, sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* probabilius tamen est, SS. Martyres jure suo ad vitam efficaciter cedere non potuisse, cum non habuerint dominium vitæ suæ sed usumfructum duntaxat; non potest autem usufructuarius jus ad rem, cujus usumfructum duntaxat habet, aut licitè, aut validè cedere alteri; nec enim aliter illa uti & frui potest, nisi salva substantia. *J. pr. de usufr.*

Quare etiamsi Rex Saul non solum illicitè sed etiam invalidè jure suo cesserit, sicque Amalecites illum volentem & consentientem percutiens graviter omnino peccarit, Deoque supremo vitæ necisque Domino formalem intulerit injuriam, Regi tamen desperabundo formalem non fecit injuriam; obtinuit enim hic, quod optabat, sed materialem tantum, quia illicitè & invalidè petiit occidi.

164. Ad IV. Respondeo distinguendo: Pupillo in rerum suarum alienationem sine tutore & Magistratu consentienti fit injuria materialis *con. ant.* formalis, qua non tantum in rebus suis sed etiam in persona lædatur *neg. ant.* tutore, Magistratu, ac Legislatori formalem injuriam facit alienatarius, quòd contra eorum voluntatem rem talem à pupillo accipiat, non verò pupillo sponte sua consentienti: nemo certè dicet, tutore, casu quo invalidè in alienationem rerum immobilium consentit, injuriam formalem fieri ab alienatario, sibi imputet, cur enim consensum suum invalidè addidit, ac auctoritatem interposuit? & tamen æquè suis in bonis læditur;

tur; pupillus enim, si alienarii paupertas actionem ejus excludat, contra tutorem actionem directam tutelæ habet, ut damnum levi etiam culpa datum refarciat *L. 7. C. de arbitr. tut.* ad restitutionem obligatur alienatarius, ita est; quia, alienatione hac à lege irritata, acceptum sine titulo etiam colorato aut putativo possidet; quia in legem impedit, in tutorem, Magistratum ac Legislatorem injuriosus fuit, adeoque formaliter peccavit, non tamen in pupillum. Formalis equidem est injuria, quæ fit cum peccato formali, fateor, non tamen est talis respectu illius, qui in læsionem, quantum in se est, consentit, sed tantum respectu legis, & legislatoris cessionem illius irritantis; nam si irritatio hæc deficeret, neque de materiali injuria conqueri posset læsus. Eadem ferè est responsio de filia renuntiante hæreditati paternæ, de uxore consentiente in alienationem fundi dotalis; si tamen suapte sponte id faciant, non metu aliquo injusto inductæ, ut sæpè fit: hoc quippe casu haud dubiè illis fit injuria, non minus, ac ei, qui ex metu injusto in donationem consentit; in hunc enim formaliter injuriosus est, qui metum injustum incutit, hinc illi ad damna ex metu hoc subsecuta, inter quæ etiam est consensus ac ipsa donatio, refarcienda tenetur.

Ad V. Denique. Responsio desumi potest ex dictis; non enim sufficit qualiscunque consensus patientis aliquid vel facientis ad evitandum aliud, quod ipsi videtur majus malum, sed debet esse consensus plenè liber, Spontaneus, ac juris sui abdicativus, ut læso non inferatur injuria formalis. Et quidem de usurario, quò ad præsentem controversiam difficultas vix esse potest; nam vel mutuatarius scit commoditatem mutui, absque alio titulo, non esse pretio vendibilem, vel nescit? si scit; vel solvit usuras adactus necessitate, & absque animo donandi, & patietur injuriam formalem; quia non habet voluntatem cedendi jure suo, quod habet ad repetendas usuras, & si non restituantur usuræ, est verè invitus: si verò solvit nulla coactus necessitate, sed sponte & spe lucri majoris; tunc refert, utrum illas solvat animo quocunque tempore repetendi, & fit ipsi injuria non quidem formalis, sed materialis: Vel an solvat animo nihil repetendi, & sponte illas donasse censetur, sicque nec materialem patitur injuriam. Si denique solvit nesciens promissionem suam nullam esse, hoc ipso non materialem tantum, sed etiam formalem patitur injuriam, quia ignorans consentit. Idem cum proportionem dicendum de Emptore simoniaco. Vel enim scit, vel nescit hujusmodi pactum nullum & irritum esse, si nescit, à venditore sciente formalis illi inferitur injuria. Si scit, nec animum donandi habet, sed denuo repetendi, injuria quidem ipsi fieret, sed materialis. duntaxat, non formalis, cum sponte omnino venditori pretium obtulerit. Verum hæc de justitia ad finem nostrum plusquam satis.

§. II.

De Objecto & Fine Jurisprudentiæ.

SUMMARI A.

166. *Objectum materiale habitus est illud, circa quod habitus sub aliqua ratione versatur propter aliud; ratio illa est objectum formale sub quo; illud propter quod habitus versatur circa a-*

liud est objectum formale quod: objectum denique attributionis seu finis immediatus habitus est, quod ex objecto materiali & formali confluit. 168. Finis autem habitus est id, cujus gratia ali-

aliquid sit, alius est finis qui, alius finis cui, alius finis quo; alius denique finis ultimus, alius non ultimus, & ultimus alius negativè, alius positivè ultimus. 169. &c. Objectum materiale proximum jurisprudentia sunt actiones morales hominum, remotum vero sunt res divina & humana. 171. &c. Ejus objectum formale sub quo est actionum moralium capacitas, quam habent ad hoc, ut legibus conformes ac justa sint; objectum verò formale quod est illarum cum lege conformitas ac justitia. 173. &c. Objectum attributionis Jurisprudentia sunt actiones morales justæ; cætera verò hunc in finem ordinata objectum ejus attributum. 175. &c. Finis Jurisprudentia est justitia non solum particularis, sed etiam universalis. 177. &c. Finis verò mediatum est vite presentis pax, & tranquillitas totius Reipublica non vero singulorum civium 178. &c. Et quidem non sola felicitas externa sed etiam interna 187. &c. Finis verò ultimus illius non est sola felicitas Reipublica vite presentis sed etiam futura. 195. Qua consistit in contemplatione & amore Dei, quod pluribus explicatur. 200. Actuum moralium honestas vel in honestas formalis consistit in conformitate vel difformitate cum lege, radicalis verò honestas consistit in conducenti eorum aptitudine ad finem legibus præfixum; inhonestas autem radicalis in repugnantia cum fine. 201. Hinc ad illam dignoscendam hanc statuimus regulam: summus omnium Legum finis est salus publica, salus populi suprema Lex esto. 202. Explicatur status controversia, utrum Jurisprudentia præcipiendo & permittendo semper versetur circa materiam honestam; prohibendo

semper circa inhonestam. 203. Quod affirmatur de Jurisprudentia naturali 204. &c. uti etiam de Divina 206. Quin etiam Jurisprudentia humana sive Canonica sive Civilis præcepta à jure natura & Divino necessario præcipit, prohibita necessario prohibet, nec alia approbando permittere potest, quàm quæ de utroque hoc jure indifferentia sint. 207. &c. Rejicitur Fundamentum Machiavelli, & proponitur quæstio, utrum Jurisprudentia humana non possit saltem permittere de jure natura vel Divino prohibita, ad evitanda majora mala? 209. Quod videtur suaderi ex Legibus Marito tribuentibus potestatem adulterum cum uxore, vel filia propria auctoritate occidendi. 210. Uti etiam ex Juribus concubinatum impunè permittentibus. 211. Atque ex pace Religiosa Passaviensi toties confirmata, ubi Lutheranis & Calvinistis Liberum Religionis suæ exercitium permissum fuit. 212. &c. Certum nihilominus videtur, Jurisprudentiam humanam non posse permittere approbando jure naturali vel divino prohibita, nec Civilem vetita jure Ecclesiastico, quin tamen improbando talia impunè permittere possit, ad evitanda mala majora non aliter vitabilia nullatenus dubitamus. 214. Hac autem causa deficiente nulla esset hac Lex; imò illa etiam ex postfacto cessante cessaret. 215. Unde deducitur sensus L. 144. de R. F. non omne, quod licet, honestum est. 216. Neque aliud evincitur, ex illo brocardico: inter duo mala minus eligendum, neque ex Legibus quibus marito occiso adulteri, vel aliis concubinatus impunè permittitur: multò minus ex pace Religiosa &c.

166 **O**bjectum habitus illud dicitur, circa quod habitus versatur; aliud autem est objectum materiale, aliud formale; objectum habitus materiale communiter vocatur illud, circa quod habitus sub aliqua ratione versatur propter aliud: qua definitione stante, duplex objectum formale admittendum videtur, nimirum objectum formale sub quo, & objectum formale quod; objectum formale sub quo est illa ipsa ratio, sub qua habitus circa alterum seu objectum materiale versatur, objectum formale quod illud est, propter quod habitus circa alterum, seu objectum materiale sub certa ratione versatur. Rursus aliud est objectum attributionis habitus, aliud attributum: objectum attributionis, quod ex objecto materiali & formali confluit, aliud non est, quàm finis intrinsecus habitus; adeoque est id, quod habitus per se intendit, seu in cujus vel effectione vel consideratione quiescit, ita quidem, ut reliqua, circa quæ versatur talis habitus, ordinentur ad hanc effectionem vel considerationem: objectum attributum, quod etiam communiter ap-
pel-

pellatur, sunt omnia illa, circa quæ tanquam media ad objectum attributionis talis habitus versatur, aut sunt omnia ea, de quibus agit talis habitus, ita tamen, ut in illorum cognitione vel effectione non quiescat, sed ordinet ulterius ad cognitionem & effectionem objecti attributionis. In exemplo res patebit clarius, sic in arte pictoria colores sunt objectum materiale, formale sub quo eorum disponibilitas in certam figuram; ipsa verò figura est objectum formale quod; ideò enim circa colores versatur pictoria, ut eos in certam disponat figuram; sicque ex coloribus ritè dispositis & in certam figuram redactis picturam, quæ objectum attributionis & finis intrinsecus est pictorinæ, obtineat: hunc in finem etiam colores miscet, penicillum præparat, regulam applicat, rudémque delineationem præmittit &c. hinc ista ad objectum ejus attributum pertinere dicuntur.

Meminisse tamen oportet in habitibus practicis triplicem finem occurrere. Unum artifex sibi præfigit, alterum opus seu artefactum respicit, ad tertium habitus ipse per se & quæ talis ordinatur. Finis, quem artifex sibi præstituit, variat, ac quandoque spe lucri, quandoque cupidine clari nominis aut alia re includitur: finis operis stat in emolumento, & commodo humanæ felicitatis, quod ex usu operis emergit: finis habitus denique is dicitur, ad quem hic ex natura sua intrinsecè ordinatur, adeoque est ipsum opus, quod secundum regulas ab habitu perficitur. Jam ad hoc, ut aliquid sit objectum attributionis habitus, non sufficit, ut sit finis operantis, operans enim potest sibi præfigere finem, quàm habitus neutiquam intendit, & quo obtento nullatenus quiescere potest. Similiter ad hoc, ut aliquid sit objectum attributionis immediatum & proximum alicujus habitus, satis non est, quòd sit finis proximus operis; finis enim operis est objectum mediatum & remotum tantum talis habitus: requiritur igitur ad objectum proximum habitus, ut sit finis illius immediatus per se & ex natura sua intentus. Sic e. g. finis frœnofactoriæ intrinsecus & immediatus est frœnum, finis frœni est directio equi, finis frœnofactoris plerumque est lucrum: ex his tribus finibus frœnum est objectum attributionis proximum frœnofactoriæ, remotum verò est directio ipsius equi, lucrum autem nullo modo potest esse objectum attributionis hujus habitus.

Definitur autem finis habitus vel potentia ab Aristotele 2. *Phys. text.* 168 19. quod sit id, cujus gratia aliquid fit, vel appetitur aut amatur: & communissimè dividitur in finem cui, finem qui, & finem quo. Finis cui est subjectum illud, cui appetitur bonum: finis qui est objectum quod tanquam bonum appetitur, hinc etiam finis, cujus gratia, aut objectivus appellatur: finis quo denique est actus, quo obtinetur finis, qui propterea finis formalis vocatur. Sic in frœnofactoria finis cui est equus, aut ars equestris, cui frœnofactoria subservit, finis qui est frœnum ex arte confectum, finis quo inductio formæ artificiosæ in ferrum. Dividitur ulterius finis qui in ultimum & non ultimum: prior seu ultimus est, propter quem appetuntur alia, ipse autem appetitur propter se & non propter aliud. Posterior seu non ultimus est, propter quem appetuntur alia, & ipse etiam appetitur propter aliud. Finis ultimus alius est positivè, alius negativè tantum ultimus: positivè ultimus, qui etiam simpliciter ultimus & universalis nuncupatur, est ille, qui non est ordinabilis ulterius ad alium finem, saltem ex natura sua & prudenter, quidquid sit de perversa intentione operantis. Negativè ultimus est, qui hinc & nunc ita intenditur, ut ulterius non ordinetur, quamvis ex natura sua alium in finem

nem ulterius ordinari posset aut deberet. Porro finis positivè ultimus tam respectu habitûs quàm operantis solus est Deus; coeteri verò fines, qualescunque fuerint, si non ab habitu, saltem ab operante ulterius ordinari possunt. His pro notitia terminorum præmissis, sit

169 Assertio I. Objectum materiale proximum Jurisprudentiæ universalis sunt actiones morales hominum; remotum verò sunt res divinæ & humanæ. Ita, ni fallar, omnes. Ratio I. Partis est. Objectum materiale proximum illud dicitur, quod per se & proximè propter aliud attingitur ab habitu; sed hoc modo attingit Jurisprudentia universalis actiones morales hominum; hoc ipso enim, quòd sit habitus indefectibiliter disponens ad actus veros, quibus in universum diriguntur actiones justæ, ut dictum n. 58. per se & immediatè versatur circa actiones morales hominum, ut illis justitiam per regulas suas & præcepta conciliet: ergo objectum materiale proximum Jurisprudentiæ universalis sunt actiones morales hominum. Ratio II. Partis est; illud est objectum materiale remotum habitûs, quod ab illo attingitur mediante objecto materiali proximo; sed ita attinguntur res divinæ & humanæ à Jurisprudentia universali; hæc enim proximè versatur circa actiones hominum, quæ deinde respiciunt res divinas vel humanas: ergo. Quod ipsum non solum Divus Justinianus §. 1. *J. de J. & J.* sed Ethnicus etiam Jctus Paulus L. 10. §. 2. *ff. cit. tit.* satis apertè innuunt, dum Jurisprudentiam definiunt, quòd sit *rerum divinarum atque humanarum notitia.*

170 Opinantur quidem nonnulli, verba hæc: *rerum divinarum* laudis potius & commendationis, quàm necessitatis causa in definitione hac addita fuisse, eò quòd politica hæc scientia à veteribus Jctis pro vera Philosophia ac re sanctissima, habita fuerit. L. 1. §. 1. *ff. de J. & J.* L. 1. §. 5. *ff. de Extraord. cod.* Verùm in quo peccarint Jcti veteres, quòd Jurisprudentiam hîc definitam veram non simulatam philosophiam, ac rem sanctissimam appellârunt, ego quidem non dispicerem; sed id solum miror Jctos inveniri, qui Jurisprudentiam §. 1. *cit.* ab Imperatore descriptam, scientiam merè politicam dicant. Eam enim Justinianus §. 1. definivit Jurisprudentiam, quam ibidem §. 5. *& tot. tit. seq. de J. N. G. & C.* divisit; non autem divisit Jurisprudentiam merè politicam; nam §. 4. dividit illam in publicam & privatam, quarum illa in rebus divinis, id est sacris, sacerdotibus, & Magistratibus consistit L. 1. §. 2. *ff. de J. & J.* adeoque Jus divinum & Canonicum complectitur; *tit. seq. per totum* divisionem ejus in Jus naturæ gentium & civile explicat, ex quibus denuo primum jus merè divinum est, atque etiam officium hominis erga Deum, erga se ipsum, ac erga proximum dilucidè pandit: quare haud dubiè retinenda sunt verba illa in definitione adducta; neque enim Imperator *J. pr.* Jurisprudentiam particularem Civilem tantùm (quamvis & hæc non benè dicatur merè politica) sed universalem, quæ non profanam tantùm sed sacram etiam Jurisprudentiam complectitur, definire voluit, prout ex subjecta divisione perspicuum est: rectissimè igitur pro objecto materiali remoto Jurisprudentiæ universalis res divinæ & humanæ statuuntur.

171 Assertio II. Objectum formale sub quo Jurisprudentiæ universalis est actionum moralium capacitas, quam habent ad hoc, ut legibus conformes ac justæ sint: Objectum formale quòd verò est ipsa earum conformitas cum legibus seu Justitia. I. Pars hoc syllogismo concluditur. Objectum formale sub quo est illa ipsa ratio, sub qua habitus circa alterum seu objectum materiale versatur; atqui Jurisprudentia universalis attingit actiones morales hominum; quia Justitiæ seu conformitatis cum lege
capa-

capaces sunt; non enim curat actiones hominum, nisi sufficienter voluntariæ & liberæ, adeoque morales, legum & Justitiæ capaces sint. Ergo pro objecto formali sub quo rectè statuitur actionum moralium capacitas, quam habent ad hoc, ut justæ & legibus conformes sint. II. Pars æquè clara est; objectum enim formale quod illud dicitur, propter quod habitus circa alterum seu objectum materiale sub certa ratione versatur; sed Jurisprudentia universalis attingit objectum suum materiale, seu actiones morales propter conformitatem cum legibus seu Justitiam, hancque illis inducere conatur, si capaces sint; ergo objectum ejus formale est justitia seu conformitas cum lege.

Dices: omnis actio moralis vel legi conformis est, vel difformis, 172 adeoque justa vel injusta; si justa est, non indiget, nec capax est ulterioris justitiæ: si injusta supponatur, justa fieri non poterit ex notissimo illo veriverbio, quòd factum infectum fieri nequeat: ergo Jurisprudentia non potest versari circa actiones morales propter justitiam, seu ut illas justas efficiat.

Respondeo distinguendo: omnis actio moralis à parte rei existens vel justa est, vel injusta *con. ant.* omnis actio moralis possibilis, quæ quidem concipitur ut voluntaria & libera, adeoque moralis, non tamen adhuc justa vel injusta *neg. ant.* dum dicimus Jurisprudentiam versari circa actiones morales, ut eas legibus conformes & justas reddat, ex terminis liquet, sermonem non esse de actionibus jam existentibus, sed tantum de possibilibus; has enim habitus Jurisprudentiæ justas, ac justitia informatas cupit, atque ad eas voluntatem inclinatur, non verò jam existentes, quamvis nec has omnino negligat; quia si justæ sint, illas tanquam objectum suum attributionis probat, quin & quandoque pro meritis remunerari jubet; si verò injustæ sint, eas corrigit, debitisque coercet poenis; ubi non solum remuneratio sed etiam coercitio ex ejus præscripto legibus conformis & justa esse debet.

Assertio III. Objectum attributionis ac finis qui immediatus Juris- 173 prudentiæ universalis sunt actiones morales justæ: cetera verò, quæ hunc ipsum in finem ordinat, qualia sunt studium juris, legum interpretatio, accurata dubiorum discussio &c. sunt objectum ejus attributum. Pars posterior per se est clara; quia Jurisprudentia in his non quiescit, saltem quatenus talia sunt, sed ea ulterius ordinat ad effectum actionis moralis justæ. Dico autem: *saltem quatenus talia sunt*; & abstrahendo, an legibus conformia sint; quatenus enim studium, interpretatio, ac discussio etiam ipsa legibus conformis est, actiones justæ sunt, atque ad objectum attributionis pertinent; totale quippe objectum attributionis Jurisprudentiæ universalis omnes omnino actiones justas complectitur. Probat igitur prima pars. Illud est objectum attributionis, & finis immediatus disciplinæ practicæ, ad quod habitus per regulas suas immediatè ordinatur, ac quo obtento quiescit; quia eum ipsum finem, quem respiciunt principia, respicit quoque habitus & scientia; sed Jurisprudentia universalis per regulas suas immediatè ac intrinsecè ordinatur ad actiones justas; nam omnes ipsius leges non sunt, nisi præcepta quædam justitiæ, actionibus moralibus inducenda, hisque obtentis quiescit: ergo objectum attributionis & finis proximus ac intrinsecus Jurisprudentiæ universalis sunt actiones justæ.

Confirmatur. Ex recepta apud omnes sententia. Ex eo, quòd Phi- 174 losophia moralis toto præceptorum suorum apparatu in id collimet, ut actionibus moralibus honestatem conciliet, rectè infertur, objectum e-

Jus attributionis finemque immediatum ac intrinsicum esse actiones morales honestas; nam etsi aliqui pro fine ejus proximo solam honestatem assignare videantur, nihilominus, cum intelligere non possint honestatem in abstracto, utpote quæ in solo intellectu existit, sed honestatem in concreto, seu honestam actionem, idem nobiscum sentire debent: ergo etiam ex eo, quod Jurisprudentia universalis omnibus præceptis suis id agat, ut actionibus moralibus justitiam accersat, bene infertur, objectum ejus attributionis & finem immediatum consistere in actionibus moralibus justis. Atque hoc argumentum eò fortius stringit, si nostra opinio, de qua *sect. 1. §. 2. assert. 3.* supponatur; si enim Jurisprudentia idem habitus est cum prudentia, si actus honestus, & actus justus synonyma sunt, idem etiam habebunt objectum; nimirum actionem legi conformem, sive deinde vocetur honesta sive justa. Et verò si rem attentius perpendere velimus, opinio illa nostra in dubium vocari vix potest; nunquam enim actio formaliter honesta erit, nisi ex motivo juris alieni ponatur; adeoque nisi simul justa sit; aliàs etiam ille formaliter honeste ageret, qui nec de lege nec consilio cogitat: adeoque, ut actio honesta sit, justitiâ informata & justa esse debet, & consequenter idem est actionem esse honestam, & esse justam. Verùm hinc non abs re.

175 Sciscitaberis. Qualis sit illa justitia, quam Jurisprudentia universalis intendit, atque actionibus inducere laborat? Respondeo finem proximum & immediatum Jurisprudentiæ universalis non esse solam justitiam particularem, sed universalem quoque, seu legalem. Et Ratio est clara. Idem enim est finis habitus & Principiorum ejus; sed finis legum, quas complectitur Jurisprudentia universalis, non est sola Justitia particularis commutativa & distributiva, sed etiam universalis, utpote sine qua felicitas publica, ad quam unam toto nisu collimat, nunquam sperari posset: ergo. Confirmatur. Eum finem respicit Jurisprudentia universalis, in quem conspirant omnes ejus partes; sed partes ejus omnes non solam justitiam particularem, sed universalem quoque intendunt; imò justitiam particularem propter universalem attingunt; aliàs enim æquè parum proficere ad felicitatem publicam, quam reliquæ virtutes, si Justitia universali carerent. Sic enim ut eas paucis enumeremus; Jurisprudentia naturalis primariò, non Justitiam particularem sed universalem intendit, hinc cæteris virtutibus omnibus, ut ad felicitatem publicam conducant, limites suos ponit: Jurisprudentia verò divina novi testamenti, si leges ejus spectemus, quas legislator supremus Decalogo & legi naturæ superaddidit, solam Justitiam legalem respicere videtur, ut enim vetus habet Theologorum axioma, extra materiam fidei & sacramentorum nullum novum continet præceptum. Hanc etiam justitiam in veteri lege præcipuum locum sibi vindicasse, ex præceptis moralibus ac ceremonialibus perspicuum omnino est: Jurisprudentia canonica legibus suis & canonibus unice eò tendit, ut legem divinam, subjectis declaret populis, bonum Ecclesiæ pro viribus promoveat. summamque Vicarii Christi auctoritatem stabiliat, ad quod haud dubiè justitiâ universalis præ particulari conducit: civilis denique Jurisprudentia tota, quanta est, bono publico ac incolumitati patriæ desudat, huncque in finem non solum præcipit, *neminem ledere, suum cuique tribuere*, sed etiam *honestè vivere* §. 1. *J. de J. & J. l. 10. §. 1. ff. eod.* hinc ne internis motibus concussa respublica fluctuet, Religionem orthodoxam salvam esse cupit, quin & hæreticis & apostatis diversas dicat poenas *tot. tit. C. de hæret. & apostat.* Castitati consulit, dum pupillum apud cognatum de incontinentia suspectum educari prohibet

L. 5. ff. ubi. pupil. educar. libidini diem dicit, dum lenocinium infamiæ cauterio notat L. 1. & L. 4. §. 1. ff. de his qui not. infam. ne si in venerem illicitam populus exæstuet, frangatur animorum vigor, ac propagatio humani generis contabescat: fortitudinem commendat, dum militem desertæ stationis reum exauctoratione plectit L. 2. §. 2. ff. de his, qui not. infam. ne ignominiosâ civium vecordiâ respública præsentissimo exponatur periculo. Taceo virtutes alias, de quibus passim leges civiles statuunt, quales sunt, in quibus reverentia in parentes ad juris necessitatem reducit, ac liberorum impietas gravibus poenis castigatur L. 3. & L. 4. C. de patr. potest. L. pen. ff. de in jus voc. vel gratitudo præcipitur L. 10. C. de natur. lib. libertique ingrati comminatione servitutis perstringuntur L. 1. C. de libert. vel morum inhonestas in jus rapitur, & famosus declaratur, qui artis lubricæ causâ in scenam publicam prodit L. 1. & L. 2. §. ult. ff. de his, qui notantur &c. sic pariter auctoritate juris concluditur urbanitas L. 3. & L. 15. ff. de serv. corrup. L. 2. §. 2. ff. de oblig. & act. L. 3. ibique gloss. C. de pig. Verecundia L. 1. §. 5. ff. de postul. L. pen. ff. de furt. Gravitas L. 2. §. 31. ff. de orig. jur. veracitas L. 6. §. 1. ff. de off. Præs. sobrietas L. fin. ff. de. al. & cib. legat. beneficentia L. 7. ff. de serv. export. perseverantia & diligentia L. 6. §. fin. ff. de neg. gest. L. 17. §. 3. ff. commod. & c. leges enim etiam civiles justa omnia, quæ à civibus proficisci possunt, præcipiunt, ut felicitatem reipublicæ pro posse promoveant. Ut adeo certum omnino videatur, justitiam universalem solam finem primarium atque objectum attributionis esse Jurisprudentiæ, particularem verò non minus ac cæteras virtutes ad objectum ejus attributum pertinere.

Nec latum unguem ab hac opinione nos dimovebis, si cum Hahnio *controvers.* 6. dicas: cur igitur in jure civili sola justitia particularis definita fuit? hoc enim verò assertum omni fundamento destituitur; quia sicut Justinianus non Jurisprudentiam civilem tantum definivit *n. 170.* quamvis & hæc recte diceretur, *rerum divinarum atque humanarum notitia*, quod potior ejus pars ex Jure naturæ desumpta sit, ac plerosque orthodoxæ fidei articulos complectatur; ita J. pr. J. & J. non definivit Justitiam particularem, imò nec universalem, sed justitiam in genere, prout ab utraque abstrahit, atque utrique univocè convenit, ut vel ex eo perspicuum sit, quod nullo termino illam restrinxerit, traditaque ab eo definitio justitiæ genericè acceptæ aptissimè congruat; hæc namque, quia abstrahit à jure riguroso & minus riguroso, atque à titulo, ex quo jus hoc debitum est, optimè omnino definitur: *constans & perpetua voluntas jus suum cuique, tribuendi.* Cuique sive communitati, sive alteri cuicumque privato, sive deinde hoc jus illi competat titulo universali sive particulari, sive rigorosum, sive minus rigorosum fuerit. Nec magis solidum videtur, quod Author laudatus *loc. cit. ad. 3. object.* ubi sibi aliquas ex legibus nuper citatis objicit, reponit, nimirum actiones aliarum virtutum à jure civili solum præcipi secundariò, ne impediatur finis justitiæ particularis, non verò primariò; si enim mecum sentiat in descriptione justitiæ universalis & particularis, imò si pro fine mediato jurisprudentiæ, ut debet, statuat felicitatem publicam, hoc ipso admittere cogetur, non solum cæteras virtutes, sed etiam justitiam particularem, tam commutativam quam distributivam à Jurisprudentia præcipi, ne impediatur finis justitiæ universalis, seu felicitas publica, hanc autem solum Justitia universalis non particularis respicit, & consequenter etiam sola erit finis immediatus Jurisprudentiæ. Quin imò, si ut dicitur *scđ. seq.* jus creatum particulare à lege proveniat, tunc sicut implicat, actiones cæterorum virtutum ita etiam

tiam impossibile est, actiones justitiæ particularis esse formaliter justas, nisi justitia universali informatæ sint; sicut enim actus formaliter sit justus, poni debet ex motivo juris, quod alter habet; supposita autem illa opinione, si actio ponatur ex motivo juris, quod alter habet, ponitur ex motivo legis jus hoc tribuentis; si ponitur ex motivo legis, ponitur actus justitiæ universalis: ergo.

177 Assertio IV. Finis qui mediatas Jurisprudentiæ universalis est vitæ præsentis pax & tranquillitas totius reipublicæ non verò singulorum civium. Ita quo ad utramque partem Doctor Eximius *de LL. lib. 3. cap. 11.* I. Pars desumitur ex Aristotele *lib. 1. Ethic. C. 2. & 4.* ubi ait, humanam felicitatem esse Finem moralis doctrinæ; *lib. verò 5. c. 1.* ea justa dici asserit, quæ felicitatem societatis civilis efficiunt & conservant, & ideò leges de omnibus virtutibus præcepta dare, quæ ad felicitatem hanc conferunt; sic pariter Cicero *lib. 2. de officiis* dixit *per Leges benè beatèque vivitur.* Et ratio est. Finis mediatas Jurisprudentiæ universalis ille est, quem facultas hæc per actiones justas & legibus conformes tanquam per finem immediatum intendit; atqui Jurisprudentia universalis, prout jus naturæ, gentium, divinum, & humanum includit, per actiones justas & legibus conformes intendit pro vita præsentis bonum publicum & felicitatem reipublicæ, uti perspicuum est ex Jurisprudentia Architectonica, Rectoria, Legislatoria &c. hæc enim, utpote membra dividenda omnium prædictarum specierum alium finem sibi præfigere non possunt, quam publicam pacem & tranquillitatem: hinc Architectonica, dum formidabilem Reipublicæ machinam meditatur, ut basin operi substernat, ac materiam futuræ civitatis præparet, naturam & causas regiminis scrutatur, summam in civitate potestatem disquisitionis lanci appendit, vincula obsequii explicat, subditorum officia determinat &c. Rectoria verò commonstrat, quomodo Respublica ritè administranda, ut in pace ac tranquillitate conservetur; legislatoria denique illis eam legibus instruit, easque præscribit actiones, quæ si ponantur, omnesque subditi legibus conformiter vivant, pro vita præsentis per se confurgit pax & felicitas Reipublicæ: ergo. Ex hoc autem patere videtur, actiones justas, qui sunt finis qui immediatus Reipublicæ respectu finis hujus mediati seu felicitatis publicæ esse finem quo. II. Pars ex priore hac fluere videtur; ut enim *L. cit. n. 7.* Suarez discurret; potestas constituendi rempublicam, illamque per leges convenientes gubernandi non est in singulis hominibus per se spectatis, nec in multitudine hominum per accidens solum aggregata, sed in communitate ut moraliter unita, & ordinata ad unum corpus mysticum atque ex illo resultat tanquam proprietas ejus: igitur etiam pro fine habebit bonum publicum ac felicitatem Reipublicæ hujus saltem vitæ; finis enim est proportionatus suo principio; adeoque cum memorata potestas per modum proprietatis resultet in tota Communitate, debet quoque bonum respicere totius communitatis. Intendit equidem Jurisprudentia bonum etiam singulorum, sed non aliter nisi propter bonum Commune; civis enim bonus non tam parenti, cujus esse dicitur, quam Reipublicæ nascitur, ut eleganter dixit Ulpianus §. 1. *L. 15. ff. de vent. in poss. mitt.* hinc *disciplina Castorum* adeoque Reipublicæ, *antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum* teste Paulo *L. 19. §. 7. ff. de captiv.* præmiòque afficiendum pronuntiat Marcellus *L. 35. ff. de relig. & sumpt.* civem si patrem aut filium, qui ad patriam delendam venit, occiderit, Reipublicæ ac patriæ, se suæque omnia quisque bonus ex asse consecrat, juxta effatum Tullii *Lib. 1. de offic.* qui pro incolumitate Reipublicæ periclitantis mori timet, indi-

Indignus est, ut in Communitate vivat, bonus civis non est, qui se, qui sua magis, quam Rempublicam, ejusque felicitatem curat; quin imò nec homo bonus est, quia animal sociale non est.

Assertio V. Finis qui mediatus Jurisprudentiæ universalis non est sola felicitas externa Reipublicæ in hac vita sed etiam interna. Hæc assertio sequitur ex dictis *sect. 1. §. 2. assert. 3.* si enim Jurisprudentia idem est habitus cum prudentia, eundem habebit finem cum illa: sed prudentia non respicit duntaxat felicitatem & bonum externum, aliàs etiam in fitione & simulatione virtutis quiesceret, quam tamen tanquam exitialem virtutum omnium pestem exosam habet: ergo neque Jurisprudentia pro fine qui mediato respicit solam felicitatem hujus vitæ externam. Verùm ut ea quæ *loc. cit.* diximus, magis adhuc eluceant, juverit, abstrahendo ab illis, assertionem præsentem pluribus stabilire. Sic autem

Argumentor I. Finis qui mediatus prudentiæ non est solum bonum & felicitas externa: ergo neque Jurisprudentiæ; etiam dato, nunquam tamen concessio, quòd habitus isti invicem distinguantur. Antecedens est Aristotelis *lib. 1. Ethic. c. 7. a. 2. & c. 8.* nec negari potest, nisi quis dicere vellet, perinde esse prudentiæ, sive veras virtutes, sive vanas virtutum umbras dirigat. Consequentia probatur. Ideò finis prudentiæ mediatus non est bonum aut felicitas tantum extrinseca, quia finis immediatus prudentiæ sunt actiones non materialiter duntaxat, sed formaliter honestæ, quæ non extrinsecè tantum sed intrinsecè etiam homini bonæ sunt; principaliter enim consistunt in actibus internis, ut rectè notat Suarezius *loc. cit. n. 8.* atqui etiam Jurisprudentia, sive naturalis, aut divina, sive humana Canonica, aut Civilis fuerit, pro fine immediato habet actiones formaliter, non verò materialiter duntaxat justas, seu justitia formali, non materiali, vera, non apparenti tantum informatas; neque enim inanem virtutis aut justitiæ larvam pro objecto habet; actiones autem formaliter justæ non externam solum, sed internam etiam felicitatem promovent: ergo etiam finis Jurisprudentiæ mediatus non est sola felicitas externa sed simul etiam interna.

Sed negas, ut suspicor, Jurisprudentiam actiones formaliter justas intendere, atque ita ratiocinaris: Eas actiones Jurisprudentia dirigit, & tanquam finem immediatum respicit, quas leges ejus præscribunt: sed leges Jurisprudentiæ non præscribunt actiones formaliter justas: ergo nec Jurisprudentia eas per se intendit, in hoc discursu major certa videtur; quia ut nuper diximus, idem est finis habitus & principiorum ejus. Minor verò fundatur in opinione illa communiter recepta, juxta quam non solum præceptis negativis satisfit, modo ponatur ommissio actionis prohibitiæ, sed etiam præceptis affirmativis satisfieri potest, dummodo ponatur actio præcepta, etiam si non adsit intentio satisfaciendi præcepto, imò etiam si quis nec cogitet de præcepto, vel intentionem positivè contrariam habeat, nimirum non satisfaciendi. Sic enim satisfacio præcepto naturali, si alteri solvo, quòd illi debeo, divino per susceptionem Eucharistiæ, Ecclesiastico per auditionem sacri, civili per gestationem armorum, aut habitus præscripti, etsi legem ignorem, aut de ea non cogitem, aut etiam intentionem contrariam habeam. Verùm patens denuo est retorsio in prudentiam; nam & hæc illas actiones dirigit, quas Jurisprudentia suas per leges præcipit, & tamen evidens est, illam non intendere actiones materialiter solum honestas; hæc liquidem Regina virtutum non fictas & apparentes, sed veras; quas dirigat, virtutes exigit. Sic pariter Jurisprudentia eas intendit actiones, quas præcipit, sed non eo modo in-

tendit, quo præcipit, si enim præcepta ejus spectes, aliud regulariter non exigit, quàm ut fiat, quod præceptum est, si verò finem, saltem suadendo suggerit, ut etiam fiat, quia præceptum est; sine hoc enim non justitiam, sed inanes Justitiæ exuvias obtineret, quod fini ejus, utpote retri-
cis justitiæ non vanæ, sed veræ, nunquam satisfaciet.

181 Quare distinguo majorem: eas actiones jurisprudentia dirigit, & tanquam finem respicit, quas per leges suas præcipit, ita ut eodem modo eas intendat, quo præcipit *neg. maj.* eas pro fine respicit, sed non eodem modo, quo præcipit *con. maj.* ad ejus probationem dico, principium illud verissimum esse; siquidem etiam leges Jurisprudentiæ alio modo intendunt, quàm præcipiant actiones; hujusmodi enim præcepta conjuncta habent consilia, ut leges impleantur, ex motivo juris, quod alter ex his ipsis legibus acquirit, & hinc non minùs leges quàm Jurisprudentia pro fine suo habent actiones formaliter, non solum materialiter justas; neque enim solum intendunt, quod præcipiunt, sed etiam quod suadent, adeoque actiones formaliter justas. Quare concessa minore, eodem proportionaliter modo distinguo consequens.

182 Si replices, intendere quidem Jurisprudentiam, ut legibus ejus formaliter satisfiat, non tamen ut illis satisfiat ex motivo juris alieni, fateris, illam non intendere actus formaliter justos, seu justitiam formalem & veram. Ad hæc non capio, quid sit formalis impletio legis, aut qua ratione à materiali differat, si ex alio motivo fiat, quàm juris alieni, quod alter vel ex lege vel ex Consilio habet: vel enim foret positivè honesta, & haud dubiè ex motivo juris, quod habet Deus aut respublica, fieret; implicat enim actionem aliquam positivè esse justam, si non fiat ex motivo juris, saltem quod Deus vel Respublica ex lege vel consilio habet, ex hoc quippe, utpote objecto formali quod justitiæ, omnis justitiæ honestas dependet, nec sine illo haberi potest: vel contra impletio talis esset solum negativè honesta, & justa adeoque indifferens, & legi permittenti conformis? & hoc ipso quòd omnis lex permittens (dato etiam, quòd possibilis sit actus moralis indifferens in individuo) consilium sibi conjunctum habeat, non hanc sed justam formaliter impletionem præcepti tanquam finem respicit; hæc enim sola nomine virtutis moralis, justæque actionis, quam Jurisprudentia, tanquam retri-
x virtutum, respicit, digna est. Nihil igitur efficit cum impletione hac tua formali præcepti, si liberè tantum & cum advertentia ad legem fiat, si non ponatur ex motivo honestatis, quæ ex eo habetur, quòd alteri jus suum ex lege vel consilio descendens tribuatur. Verbo, ut impletio legis dici possit objectum attributionis Jurisprudentiæ, poni debet ex motivo honestatis, saltem alicujus, quæ impletione hac legis obtineri potest. Sic e. g. ut impletio præcepti Ecclesiastici de audiendo sacro sit, & dici possit objectum attributionis justitiæ legalis vel universalis, poni debet ex motivo honestatis, quæ habetur ex eo, quòd quis pareat legi justæ, vel quia honestum est hujusmodi auditione colere Deum, quæ honestas, intendi potest sine priore illa, imò licet prior penitus excludatur, modò non excludatur cum peccato, ut contingeret casu, quo præceptum Ecclesiæ urgeret, nec aliud sacrum haberi posset, audiens autem illud nollet satisfacere præcepto; qui enim actu graviter peccat, Deum colere non potest.

183 Si duplices dicāsque, etiam si Jurisprudentia pro fine immediato intendat actus formaliter honestos, indèque per se fluat bonum internum singulorum civium, Jurisprudentiam tamen hanc felicitatem internam singulorum non respicere propter se, sed ulterius ordinare ad prosperitatem

tem externam Reipublicæ: nisi sphingis instar ænigmata proponere velis, quorum nec ipse œdipum agere possis, ulterius explicare debebis, quid intelligas per felicitatem illam internam Reipublicæ, quam ex felicitate interna singulorum civium consurgere negas? aut cur felicitas, quæ singulis membris interna est, respectu totius solum externa sit? si enim ex felicitate externa singulorum civium externa quoque reipublicæ felicitas consurgit, ex interna illorum felicitate etiam interna hujus felicitas promanabit. Et nunquid ideò Jurisprudentia Canonica pro fine mediato internam Ecclesiæ felicitatem habere dicitur, quia per actus, quos præcipit, bonum internum singulorum civium intendit, ad quod deinde bonum internum totius Ecclesiæ necessariò consequitur: igitur idem dicendum de Jurisprudentia universali, quæ haud dubiè bonum internum singulorum civium intendit. Accedit, quòd etiamsi finis immediatus & objectum attributionis Jurisprudentiæ in genere sola foret legis impletio, abstrahendo ab honestate formali, non posset tamen felicitas, quæ inde in rempublicam redundat, merè externa dici; legis enim impletio, quia formalis esse debet, actus moralis est, major est autem bonitas actus moralis interna, quam externa.

Argumentor II. Prudentia hoc ipso, quòd intendat felicitatem veram in hac vita, habet pro fine, suo non solum felicitatem externam sed vel maxime internam: ergo etiam Jurisprudentia si pro fine suo mediato habeat felicitatem veram Reipublicæ in hac vita, quòd à nemine nisi fortè à Machiavello negabitur, intendet felicitatem Reipublicæ internam, non solum externam. Antecedens denuò est Aristotelis *Lib. 1. Ethic. cap. 7. 8. & 9.* ubi id fusissimè probat. Consequentia probatur. Vera felicitas hujus vitæ consistit in bono perfecto, ac summo, quòd hac in vita obtineri potest, ut teste Aristotele *c. 7. art. 2.* omnes sapientes faciliè concedunt; sed tale bonum non est solum bonum externum, cum utique majus bonum sit externum simul & internum: imò bonum internum seu bonum animi multò præstantius est bono externo, hocque ad illud ordinatur: igitur si Jurisprudentia pro fine in hac vita intendat veram felicitatem Reipublicæ; non solum externam sed vel maxime internam felicitatem respicit; neque enim multum à verò aberrarunt stoici, dum docuerunt, solas virtutes & bona animi esse vera bona, bona verò externa & bona corporis non esse vera & propriè dicta bona; nisi enim bonis internis conjuncta sint, reipsa bona non sunt; felicitas enim hujus vitæ consistit in vita & operatione virtutis perfectæ cum delectatione animi; nam vita & operatio secundum virtutem perfectam per se jucunda & delectabilis est teste Philosopho: *Lib. 1. Ethic. cap. 8. text. 6.*

Neo audio, si dicas Aristotelem *loc. cit.* loqui de felicitate privatorum vel singulorum civium, non verò Reipublicæ, quia ut *cap. 2. text. 3.* jam præmiserat, quamvis majus quid & divinius sit, efficiere & conservare bonum totius civitatis aut gentis humanæ, quam unius hominis singularis, eundem tamen finem, idem bonum esse hominis singularis, ac totius civitatis vel etiam generis humani: ergo si finis singulorum hominum in interna præcipue felicitate consistit, idem & quidem à fortiori ex mente Philosophi sentiendum de felicitate Reipublicæ. Et ne de mente ejus dubitare possemus *Lib. 3. polit. cap. 4. text. 3.* ac alibi sæpius expressè edixit, benè, hoc est secundum virtutem vivere, est finis omnis societatis, tum communis tum particularis singulorum, qui in societate vivunt. Quòd ipsum fusè probat *Lib. 7. moral. cap. 2.* est igitur finis Reipublicæ, ut omnes & singuli cives benè & perfectè secundum virtutem ex legis præscri-

ptum vivant, in quo etiam vera perfectaque ejus felicitas consistit, quæ non externa duntaxat, sed vel maximè interna est. Aliàs nec vera felicitas esset, quia delectatio animi deficeret; nec quantum præsentem in vita sperari posset, perfecta & stabilis foret; operatio enim merè externa transiens non immanens est, nec animum benè affectum reddit, sicque stabilitas nulla speranda foret. Certè si felicitas merè externa bonum virum satiare non potest, nec bonus civis hac sola contentus & felix vivet; quamvis enim non eadem simpliciter virtus sit boni viri ac boni civis; ille enim propriam, hic Reipublicæ felicitatem intendit, uterque tamen verè perfectè, ac quantum fieri potest, stabiliter felix esse cupit.

186 Argumentor III. Illa felicitas est finis mediatas Jurisprudentiæ universalis, ad quam tendunt omnes ejus species; atqui omnes species Jurisprudentiæ intendunt in hac vita felicitatem præcipuè internam, non solum externam: ergò. Major est clara, minor probatur, & imprimis de Jurisprudentia naturali dubitari non potest; huic enim eo ipso, quòd naturalem intendat felicitatem, externa duntaxat sufficere non potest; ad felicitatem quippe naturalem non sufficit virtus aliqua & operatio externa, sed necessària est integritas morum cum debito ordine ad Deum, quantum lumen naturale dicitur, adeoque præcipuè in actibus internis consistit. Minus adhuc controversi potest de Jurisprudentia divina; nam si lex divina etiam veteris testamenti non modo internam, sed spiritualem & supernaturalem felicitatem pro fine suo etiam in hac vita habuit, ut pluribus demonstrant D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 1. & q. 99. art. 2. Suarez lib. 9. de legibus c. 3. patètque ex ps. 18. & 118. aliisque innumeris scripturæ locis, multò magis id ipsum de Jurisprudentia divina novi testamenti, seu legis gratiæ, utpote longè excellentiore dicendum erit. Videatur Suarez. Lib. 10. de LL. cap. 8. De Jurisprudentia quoque Canonica seu Ecclesiastica inter Doctores orthodoxos res expedita est, siquidem, ut fides nos docet, felicitas Ecclesiæ in hac vita in sanctitate spirituali ac supernaturali (hæc enim sola æternæ ac supernaturali, quam post hanc vitam speramus, felicitati congruit) consistit. *Can. 6. dist. 96.* & passim alibi.

187 Tota igitur difficultas quo ad præsentem assertionem ad Jurisprudentiam civilem seu politicam devolvitur; hanc enim internam vitæ præsentis felicitatem respicere plerique negant, sed nisi omnia me fallant, contra apertam rationem, quin & ipsorum Legislatorum intentionem: nam I. etiam Jurisprudentia politica & civilis pro objecto habet veram justitiam, veram virtutem saltem naturalem, veram ac suo modo perfectam stabilemque intendit felicitatem Reipublicæ, uti ex primis duabus rationibus convincitur: igitur nec objectum suum obtinet, nec optatam felicitatem consequitur sine operatione perfecta secundum virtutem; hæc autem principaliter consistit in actu interno. Neque enim ideo civilis & politica hæc Jurisprudentia dicitur, quòd inanem tantum virtutis ac felicitatis umbram insequatur (aliàs non politica sed pseudo-politica foret) sed quia viribus naturæ relicta ultra naturalem virtutem ac felicitatem assurgere nequit. II. Jurisprudentia Ecclesiastica eandem præsentem in vita felicitatem intendit, quam Jurisprudentia divina, ut nuper dictum: ergo etiam ad eandem hac in vita felicitatem aspirabit Jurisprudentia civilis & politica, quam respicit naturalis; adeoque internam potius quam externam; ideo enim Jus Canonicum cum jure divino eundem in finem collimat, quia potestas legislativa ad hoc præcipuè Ecclesiæ

quæ, ac visibili ejus in terris Capiti à Christo data est, ut ex legibus ejus divinissimis, quæ substantialia duntaxat ac universalia spiritualis hujus Reipublicæ fundamenta exhibent, leges magis particulares deduceret, quibus, quæ ad finem à supremo Legislatore intentum pro locorum & circumstantiarum varietate fidelibus magis congruerent, declararet; atqui etiam potestas ferendi leges civiles & politicas ideò solùm Reipublicæ, aut populo à Deo Auctore naturæ concessa fuit, ut juris naturæ principia, plerisque non satis perspecta dilucidius explicaret, diversisque rebus publicis ad naturalis æquitatis normam adaptaret: ergo si Jurisprudentia canonica eandem cum divina felicitatem etiam in hac vita intendit, eandem quoque cum jure naturæ habebit Jurisprudentia Civilis, ut vel ex eo etiam satis manifestè eruitur, quòd pleræque leges civiles, quæ in corpore juris civilis continentur, in principium aliquod, lumine naturæ notum, resolvantur. III. Si Jurisprudentia Politica suis in legibus solam externam vitæ hujus felicitatem respiceret, nulla amplius foret ratio, quare Legislator civilis non possit etiam præcipere ea, quæ jure naturæ & divino prohibita sunt, modò tranquillitati & felicitati Reipublicæ externæ congrua viderentur; lex enim illa, quæ fini Reipublicæ congruit, justa omnino & licita est: sequelam nemo nisi athei aut Machiavelli affectu admittent. Quis enim Christianus, ne dicam orthodoxus criminis expertem dixisset Gratianum Imperatorem verè orthodoxum, si Decreto sancivisset, ut omnes, qui ad Christiana sacra transierant, infamibus Diis thus adolerent, ut hac ratione impios sacrificulos placaret, seditionemque in se concitatam sopiret? & tamen evidens omnino videtur, non modò validum sed & licitum futurum fuisse tale decretum, si sola felicitas externa, seu ex effectibus externis metienda, finis esset Jurisprudentiæ Politicæ, præcipuè si felicitas hujus vitæ externa finis ultimus foret Jurisprudentiæ politicæ. Hinc fit

Assertio VI. Finis ultimus Jurisprudentiæ universalis non est sola felicitas Reipublicæ vitæ præsentis sed etiam futuræ. 188 Probatum. Si finis ultimus Jurisprudentiæ universalis esset sola felicitas temporalis Reipublicæ in hac vita, tunc vel esset finis positivè vel solùm negativè ultimus; sed non potest dici, quòd sit finis ipsius positivè ultimus; solus enim Deus est finis positivè ultimus creaturæ rationalis, & consequenter etiam habitus rationalis, qualis est Jurisprudentia; Deus namque rerum omnium *Alpha & Omega, principium & finis est Apocal. 1. v. 8. universa propter semetipsum operatus est proverb. 6.* Hinc necessariò omnia amat propter se, ac ultimatò ad se ipsum ordinat: neque potest dici, quòd hæc felicitas temporalis Reipublicæ sit finis negativè ultimus Jurisprudentiæ, quia si finis negativè ultimus, per superius notata, ille est, qui licèt ex natura sua ulterius alium in finem ordinari posset, & deberet, tamen hic & nunc ulterius non ordinatur, Jurisprudentia, utpote habitus rationalis & necessarius, sistere non potest in fine negativè ultimo, sed felicitatem vitæ præsentis unicè intendet ad finem alium consequendum, nimirum felicitatem vitæ futuræ, quæ est finis totius vitæ præsentis etiam felicissimæ, ut pluribus ostendit Aristoteles. *Lib. 7. moral. ad Eudem. c. 19.* Neque enim virtus aut habitus virtuosus instar potentia liberæ finem negativè duntaxat ultimum habere, aut in alio quàm positivè ultimo quiescere potest; nam appetitus ejus non modò necessarius, sed & prudens est, adeoque finem suum mediatum illuc ordinat, quò ex natura sua ordinatur: licèt igitur fortè Legislatores factè politici in felicitate vitæ præsentis sisterent, nec illam ulterius ordinarent; in illa tamen quiescere non posset Jurisprudentia, quia habitus est necessarius, prudens, atque ad finem à natura præfixum intentus. * Pro-

Promovetur hoc argumentum. Ipse Legislator, qualiscunque fuerit non potest prudenter sistere in felicitate externa vel etiam interna vitæ præsentis, sed ulterius eam ordinare tenetur ad felicitatem vitæ futuræ: ergo multò minùs habitus Jurisprudentiæ, utpotè necessarius & prudens in illa tanquam fine negativè ultimò sistere potest. Consequentia patet: antecedens probatur: omnis Legislator qualiscunque fuerit, eum legibus suis præfigere debet finem, qui sufficienter & efficaciter movere possit subditos ad earum observantiam integram, etiam quando arbitri nulli adsunt, nec poena à legibus statuta timenda est, etiam cum jacturâ bonorum omnium, cum vitæ periculo, si bonum publicum id exigeret; neque tenim prudenter sperare, adeoque nec præcipere posset actus adeò heroicos & arduos, nisi civibus finem magis æstimatum præmiumque condignum proponeret, si non ab ipso, ab alio tamen eoque superiore tribuendum: atqui talis finis non est felicitas hujus vitæ sive externa sive interna; sed sola felicitas vitæ futuræ: quid enim prodesset civi felicitas temporalis Reipublicæ, si amissis pro Republica bonis omnibus, quamdiu viveret, pauper miserque futurus esset, si post vitam, bono publico consecratam, quod speraret, non haberet: nullum certè vel ex millenis invenies, qui ita desipiet, ut sine spe alicujus lucri aut præmii bona omnia, quibus hac saltem in vita felix esse poterat, quin & vitam, postquam nulla illum maneret felicitas, tam stolidè prodiget, nisi insanus omnino inanis gloriolæ captator fuerit: ergo si Legislator, qualiscunque is fuerit, accuratam legum suarum observantiam à subditis sperare velit, non temporalem duntaxat in hac vita Reipublicæ felicitatem, sed illam maximè, quæ in vita futura probos expectat cives, suis in legibus spectare, atque ad hanc priorem illam ordinare debet. Ne tamen fortè distinguendo inter finem extrinsecum & intrinsecum, finem singulorum & universitatis effugere tentes.

189 Sic ulterius insto. Jurisprudentia non solum dirigit actus morales singulorum civium sed ipsius etiam civitatis; hanc enim præcipuè suis in legibus respicit, hanc maximè, ut ad legum amissim justè & secundum virtutem vivat, inclinât, urget, sollicitat: ergo si in actibus moralibus singulorum civium pro fine ultimo respicit felicitatem vitæ futuræ; eandem à fortiore in actibus moralibus civitatis respiciet, & consequenter si respectu singulorum civium felicitas vitæ futuræ non est finis extrinsecus Jurisprudentiæ, neque respectu totius civitatis finis Jurisprudentiæ extrinsecus erit; neque enim minùs ad felicitatem vitæ futuræ conducunt actus morales civitatis, quàm singulorum civium: eundem igitur ad finem illos diriget Jurisprudentia. Et verò si Jurisprudentia Reipublicam in hac vita præ civibus felicem cupit, ut in aprico esse videtur, quia civem bonum ad Rempublicam ordinat, etiam in actibus moralibus civitatis, quos dirigit felicitatem vitæ futuræ pro fine ultimo intendere debet; aliàs sæpè civitatem optimam felicem reddere non posset: finge enim, aut si fingere non lubet, historias recole, & videbis plures Respublicas justissimis munitas legibus, optimis civibus ac moribus florentes, vel temporum iniquitate aut exterorum etiam injuria hostili incurfu, incendiis, rapinis sine civium suorum culpa devastatas, quin & quandoque penitus extirpatas fuisse: de his jam rebus publicis quid censes? num felices eas vel infelices asseris? si infelices cum vulgo pronuntias, negare debebis, Jurisprudentiam felicitatem Reipublicæ pro fine suo intendere, quin & fateberis, summam justitiam cumulùmque virtutum omnium summa cum infelicitate stare posse; si verò cum sapientibus

bus eas felices fuisse contendis, haud dubiè nobiscum ad felicitatem vitæ futuræ respicies, ibique saltem à Jurisprudentia coronandas statues; nisi cum veteribus quibusdam miseram adeò virtutem omnem, etiam summè arduam & omnis boni temporalis destructivam esse credas, ut præmium nullum aliud præter se ipsam sperare possit; quod tamen cum nullum privatum civem sufficienter alliciat, multò minùs civitati integræ satisfaciat.

Confirmatur. Si finis Jurisprudentiæ universalis seu in genere esset ¹⁹⁰ sola felicitas vitæ præsentis, tunc in fine hoc etiam quiescerent ejus species omnes vel saltem aliquæ, aut una earum; atqui nec omnes species Jurisprudentiæ nec aliquæ; imò nec una earum obtenta felicitate publica vitæ præsentis quiescit: ergo. Major est clara; si enim genus includit omnes species, si repræsentatur in qualibet specie, alium finem respicere non potest, quàm illum, ad quem omnes ejus species tendunt. Minor verò de Jurisprudentia divina tam veteris, quàm novi testamenti est certa ex scriptura, unde habemus eundem finem ultimum utramque hanc legem respexisse, nimirum felicitatem æternam per merita Christi venturi vel præsentis consequendam; de lege enim veteri dicit Paulus *ad Rom. 10. v. 4. finis legis Christus ad Justitiam omni credenti: & iterum ad Gal. 3. v. 24. lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* vocatur etiam *lex immaculata convertens animas. psal. 18. v. 8. lex sancta lex spiritualis ad Rom. 7. v. 12. & 14. verbum vitæ act. 7. v. 30.* non temporalis sed æternæ; de lege verò novi testamenti utpote excellentiore id ipsum manifestiùs habetur ex Evangelio Matthæi & Marci ultimo ibi. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Huc etiam collimant varia Pauli Apostoli testimonia *ad Rom. 1. v. 16. Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti: 1. ad Cor. 15. v. 1. notum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, per quod & salvamini:* hanc ipsam quoque felicitatem æternam pro fine suo ultimo respicere Jurisprudentiam Canonicam, ut innumera alia taceam, dubitare non sinit *can. 6. dist. 96. n. 20. cit. item C. 6. de major. & obedient.* ac inde patere videtur, quòd Jurisprudentia canonica unicè necessaria fuerit, ut leges divinas novi testamenti generales per species etiam infimas deducendo declararet, aut quæ ad exactam earum observantiam conducere viderentur, auctoritate divina superadderet, *ut dixi n. 21.* ut adeò Jurisprudentia Canonica Jurisprudentiæ divinæ novi testamenti subsidiaria dici possit. Tali autem lex veteris testamenti hoc ipso, quòd omnia in specie atoma determinàrit, non indigebat: hinc etiam ut docet S. Thomas *1. 2. q. 98. art. 2.* in veteri testamento nulla fuere præcepta merè humana.

Jurisprudentiam quoque naturalem in felicitate vitæ præsentis ¹⁹¹ sistere non posse, sed ultimò ad futuram respicere, ex ipsa legum, quas complectitur, natura convincitur. Si enim jus naturæ obligat, ad defendendam Patriam ejusque bonum procurandum, etiam cum bonorum omnium ac vitæ ipsius jactura, si aliter defendi nequeat: si obligat ad servandam continentiam etiam cum certo mortis periculo, casu, quo non posset licita corruptione remedium adhiberi, præmium quoque condignum actale proponere debet, quod bonitate sua præponderet illi bono, quod per actum virtutis est relinquendum; aliàs enim frustra præciperet, ac incassum alliceret homines ad actus hujusmodi arduos & heroicos; non enim nisi imprudenter contemnitur bonum possessum, nisi propter aliud, illudque majus bonum, ut vel ex appetitu à natura nobis indito, quo omnes beati ac felices esse cupimus, evidens videtur: atqui non haberet jus

naturæ præmium memoratis illis virtutibus condignum, si non aliam; quàm vitæ præsentis felicitatem intenderet; hac quippe per talem virtutis actum omiſſa, quod daret aut promitteret, non haberet: igitur in felicitate vitæ præsentis quiescere non potest Jurisprudentia naturalis. Neque ratio hæc solùm stringit, si singulos cives, sed etiam si universitatem seu rempublicam spectemus; sicut enim Jurisprudentia naturalis singulos cives obligat, ut, si necessum fuerit, pro bono publico vitam & sanguinem generosè prodigant; ita universitati ac Reipublicæ & quidem districtiùs præcipit, ut excidium potiùs internecinum sustineat, quàm Dei auctoris naturæ honorem positivè concurrèndo violet, aliàs Deum odisse, quin horrendis etiam blasphemis impetere liceret, si aliter Respublica conservari non posset: si verò Jus naturæ arduum adeò virtutis actum Reipublicæ præcipit, ut nemo vel modica ratione præditus inficiabitur, condignum illi etiam præmium proponat, oportet: hoc autem excisa penitus republica haberi non posset in vita præsentis: igitur in futura inquirendum foret, & quidem tale, quod felicitati vitæ præsentis non parùm præponderet. Ex quo denuo pronunciatum illud Aristotelis, de quo n. 184 nimirum eundem finem esse civitatis & singulorum satis validè confirmatur.

192 Idem omnino sentiendum de Jurisprudentia Civili, quidquid alii opponant; præterquam enim, quòd Jurisprudentia hæc Juris naturæ individua pedissequa ac subsidiaria sit, ut probatum n. 20. tota, quanta est, in immutabilibus juris naturæ principiis fundatur, eundemque agnoscit Auctorem; quid ni igitur eundem cum illo finem respiciet. Ita enim hucusque mecum ipso ratiocinabar. Leges civiles juxta Marcianum *L. 2. ff. de LL.* ac Demostenem ibi allegatum *invenit ac munus Dei sunt*, nimirum ut auctoris naturæ, *ipsæque jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit humano generi.* ut loquitur Augustinus *can. 2. dist. 8.* non enim est potestas leges ferendi aut subditos legibus constringendi, nisi à Deo: imò nec pactum cum Republica initum, nec leges subditos stringerent, nisi lex divina saltem naturalis legibus ipsius assisteret; sed si potestas ferendi leges civiles, ac subditos iis constringendi à Deo Auctore naturæ est, Jurisprudentia civilis eundem, quem jus naturæ, finem respiciet: ergo. Major est certa; quòd verò leges civiles non stringerent, nisi lex Divina illis assisteret, inde etiam patet, quòd leges civiles neminem obligent nisi subditum nemo subditus fiat, nisi reipublicæ pacto tacito devinciatur, nullum verò pactum, ut paulò post dicitur, obliget, nisi lex illi assistat: hæc autem lex respectu hujus pacti taciti non potest esse humana, nisi vitioso in circulo ambulare velimus: ideò enim pactum hoc tacitum obligaret cives, quia lex humana id juberet, & ideò lex humana hoc jubere posset, quia cives pactum tacitum cum Republica inierunt. Minor videtur tralatitia; quia si potestas Reipublicæ obligandi subditos à Deo Auctore naturæ ejusque legibus petenda est, etiam finis inde peti debet; neque enim obligatio orta ex Jure naturali alium finem respicere potest, quàm ipsum jus naturæ habeat; cum alium in finem potestas hæc obligandi Reipublicæ nec concessa fuerit, nec concedi potuerit; nam si auctor naturæ alium finem suis in legibus respicere non potuit, quàm humani generis felicitatem in vita futura, neque alium ob finem potestatem ferendi leges dare potuit Reipublicæ, quàm ut subditos suos per leges, naturali æquitati congruas, ad felicitatem hanc dirigat.

193 Confirmatur. Magistratus inferior suis legibus & statutis non potest alium præfigere finem, quàm illum, quem Princeps in concedenda ipsi hac potestate sibi præfixit, ut in confesso esse reor, quin etsi alium sibi præfigeret

goret, leges tamen, quatenus sunt leges, ac stringunt, alium in finem quàm à Principe præfixum collimare non possent, nec enim Magistratus inferior plus potest, quàm à Superiore ipsi concessum fuerit: igitur neque legislator civilis etiam supremus alium legibus suis finem præfigere poterit, quàm auctor naturæ in concedenda Reipublicæ potestate legislativa sibi præfixit: hic autem est felicitas vitæ futuræ: ergo. Et verò, vel legislator civilis leges Juris naturæ legibus suis firmat ac roborat? quod unice fere egisse videtur Divus Justinianus; leges enim naturales utramque ferè paginam in corpore Juris civilis conficiunt: vel eas juri naturæ superaddit leges, quas pro rerum exigentia bono publico congruas esse judicaverit? quidquid dixerimus ad eundem finem hæ leges cum Jure naturæ respicient; ut de prioribus indubitatum videtur, utpote in quibus legislator humanus aliud non agit, nec agere potest, quàm ut per eas commissam sibi rempublicam ad finem ab Auctore naturæ intentum seu ad felicitatem tum in hac tum ultimatò denique in altera vita consequendam dirigat: quam ipsam etiam in posterioribus illis legibus humanis Auctor naturæ intendit, adeoque legislator quoque humanus intendere debet; eo ipso enim, quòd circumstantiæ exigant, leges aliquas Juri naturali superaddi, has ipsas etiam jus naturæ, summusque ejus Auctor exigent, adeoque eas ad finem sibi præfixum intendent; non enim minùs hæ, quàm priores ex juris naturæ ductu profluunt. Quid? quod generaliter jus naturæ legi humanæ justæ parere jubeat.

Qua igitur ratione dices, lex civilis merè humana dicitur, si nulla est sine assistente lege naturali? qui lex civilis obligare dicitur, si tota vis obligandi ex jure naturæ descendit? eo inquam jure, quo lex vel statutum inferioris Magistratus lex inferioris atque obligare dicitur, etsi nunquam sit sine lege superioris, totaque vis obligandi ex hac seu potius jure naturali utriusque assistente descendat. Lex civilis merè humana ea plerumque appellatur, quæ pro certis duntaxat circumstantiis Reipublicæ congruit, hanc enim saltem per se jus naturæ non præscribit, ac etiamsi per accidens, exigentibus ita circumstantiis, eam à legislatore Civili præscribi cupiat, si tamen hic illam committat, subditi ea non stringuntur. Exemplo res clarebit: sic licet Jus naturæ furtum prohibeat, delicto tamen huic poenam capitale non præstituit, sed eam legislatori humano, si res & multiplicata nimium furta exigere viderentur, statuendam reliquit, ac etiam pro casu, quo aliæ poenæ sufficientes non essent, ad deterrendas maleferiatis Harpyas à noxio adeò delicto, illam statui voluit: hoc tamen non obstante, si nec Carolus Quintus in Justissima sua Nemese, nec alius Principum illam decrevisset, eam infligere Judices nullatenus tenerentur: atque hinc etsi lex prohibens furtum merè humana non sit, utpote Juris naturalis ac necessaria; lex tamen statuens furto poenam capitale merè humana dicitur, quamvis juri naturæ etiam præcipienti in casu necessitatis omnino conformis sit. Ad alterum dico, quamvis jus obligandi in leges humanas ex jure naturæ descendat; nisi enim jus naturæ pactum illud tacitum civium cum Republica probaret, nulla huic in illos jurisdictio competeret; ex pacto quippe, quod semper inter pares est, obligatio non oritur, nisi voluntas superioris accedat; firmato tamen per jus naturæ hoc pacto, etiam legibus civilibus vis obligandi inest; & quidem ex beneficio Juris naturæ: licet igitur vim obligandi leges civiles à Jure naturæ habeant, tanquam à causa universali & remota, nihilominus eadem vis obligandi oritur pariter ex lege civili tanquam à causa particulari & proxima, eò quòd immediatè & proximè per legem civilem fiat, ut subditus teneatur

tur hoc vel illud facere v. g. Judex furem ad laqueum condemnare, qui per tria saltem furta ultra quinque solidos seu aureos surripuit; ad quod tamen non teneretur, nisi id per legem humanam fuisset determinatum & injunctum. Eodem proportionaliter modo discurrendum est de lege Ecclesiastica.

195. Assertio VII. Felicitas hæc vitæ futuræ, quam Jurisprudentia universalis tanquam finem suum positivè ultimum intendit, consistit in contemplatione & Amore Dei. Probatur. Finis positivè ultimus Jurisprudentiæ coincidit cum fine positivè ultimo virtutum, quas Jurisprudentia dirigit; hoc ipso enim, quòd Jurisprudentia non modò Justitiam particularem sed universalem quoque, quæ virtutes omnes complectitur, ex munere suo dirigat, eas ad finem ipsis præfixum dirigere & consequenter ad eundem cum ipsis finem ultimum tendere debet; atqui finis ultimus bonorum ac virtutum omnium est contemplatio, indèque necessario resultans amor Dei in altera vita: ergo. Minor videtur esse Aristotelis *Lib. 7. moral. ad Eudemum cap. 19. seu ult.* ubi pluribus probat contemplationem Dei bonorum ac virtutum omnium, quin & vitæ humanæ finem ultimum esse. Et licet Philosophus amoris ibidem expressè non memimerit, eum tamen satis certò requirit, dum contemplationem Dei infinitè perfecti, qui omnibus bonis abundat, ac nullius eget, requirit; contemplatio enim boni undequaque ac infinitè perfecti amorem necessario post se trahit. Neque minor hæc, stante assertione præcedente, controverti potest quia si Jurisprudentia in felicitate vitæ præsentis quiescere nequit, sed ad futuram respicit, virtutes omnes ad contemplationem & amorem Dei in vita futura tanquam ad centrum suum dirigit: nam si virtus, ut Philosophus sapius inculcat, est dispositio perfecti ad optimum, nunquam, nisi in contemplatione & amore hoc, quæ solæ optimum virtutis habent, quiescet. Multò minùs aliud quid assignari poterit, quod tanquam finem Jurisprudentia altera in vita intendere possit; finis enim ultimus Jurisprudentiæ debet esse finis ultimus Reipublicæ, finis ultimus Reipublicæ aliud esse non potest, quàm felicitas & beatitudo illius, & quidem adæquatè satiativa appetitûs rationalis; bona namque creata omnia, sive simul sive seorsim accepta, imperfecta, fluxa, & instabilia sunt, sicque appetitum rationalem & prudentem satiare nequeunt: Sola verò contemplatio seu visio Dei boni infinitè perfecti non satiat formaliter adæquatè appetitum creaturæ rationalis; siquidem appetitus creaturæ rationalis quæ talis duplex est, nimirum intellectûs, qui visione, & voluntatis, qui amore expletur.
196. Confirmatur. Deus est *finis qui* positivè ultimus omnis creaturæ rationalis ut dixi n. 137. adeoque etiam boni civis & Reipublicæ & quidem quæ talis; siquidem vel maximè quæ tales sunt creaturæ rationales. Igitur possessio Dei adæquatè satiativa, quæ habetur per contemplationem & amorem Illius erit *finis quo* positivè ultimus creaturæ rationalis, & consequenter etiam civis, ac Reipublicæ; sicut enim *finis qui* positivè ultimus est Beatitudo & felicitas objectiva, ita *finis quo* ultimus seu possessio beatitudinis objectivæ est felicitas & beatitudo formalis: atqui si possessio adæquatè satiativa Dei in vita futura est *finis quo* positivè ultimus seu felicitas & beatitudo formalis civis ac Reipublicæ, hanc ipsam ultimatò intendet Jurisprudentia; hæc enim per virtutes, quas dirigit, alium finem respicere non potest, quàm felicitatem aut beatitudinem formaliter & adæquatè satiativam civis ac Reipublicæ; hæc autem in alio consistere non potest, quàm in visione & amore Dei in vita futura: ergo.
197. Hæc ipsa tamen Contemplatio & amor Dei pro statuum diversitate

tate diversæ omnino fuissent; in statu quippe naturæ puræ, qui tamen nunquam fuit, non ad aliam Dei cognitionem aut contemplationem, quàm abstractivam, nec ad alium amorem, quàm cognitioni huic proportionatum dirigere Rempubicam potuisset Jurisprudentia, sive deinde hæc naturalis sive divina, sive Ecclesiastica seu tractans de rebus sacris atque ad cultum Dei pertinentibus, sive civilis ac de rebus omnino profanis disponens fuisset; tali enim in statu non nisi naturalem felicitatem etiam in vita futura sperare potuisset respublica, quia supernaturalem, quæ in visione Dei intuitiva & amore supernaturali habetur, sibi impossibilem vidisset: hinc priore illa meritis suis naturalibus proportionata, contenta quievisset, eò ferè modò, quo ex mente Theologorum supernaturaliter Beati visione intuitiva Dei etiam minùs perfecta contentissimi vivunt, nec desiderant perfectiorem ac perfectiorem in infinitum, nec invident aliis, qui ob præstantiora merita clariùs Deum intuentur. Nihilominus etiam in hoc statu cognitio illa abstractiva multò clarior, amorque Beatificus inde resultans longè intensior fuisset, quàm quæ in vita præcessissent. Gauderent præterea tales beati speciali Dei protectione, qua à peccato, morte aliisque corporis miseriis præservarentur, quin & de felicitate ac beatitudine sua ejusque perpetuitate penitus securi viverent: *nullo enim modo potest esse vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.* ut fusè probat Augustinus Lib. 3. de Trinit. c. 8. illumque secutus Doctor Angelicus p. 1. q. 64. a. 2. in corp.

In statu verò Elevationis, qui ordinationem hominis ad statum supernaturalem includit, & consequenter idonea ad eum consequendum media exigit, in quo creati, ac post lapsum ex infinita Dei misericordia reparati vivimus, aspirare equidem ad visionem Dei intuitivam amoremque supernaturalem homini utut fragili per Dei gratiam non modò licet, sed unicè necessarium est, neque enim alia hoc in statu vitæ futuræ felicitas possibilis est, quàm quæ in visione intuitiva Dei, ejusque amore purissimo æternùm duraturo consistit. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum.* Joan. 17. v. 3. ut in te Deo gaudeant, gaudiùmque hoc nemo tollat à beatis *Matthæi 15. v. 21. Joan. 15. v. 11. & 16. v. 22.* hinc Propheta Regius de beatitudine hac canit. *torrente voluptatis tuæ potabis eos, & in lumine tuo videbimus lumen.* psl. 35. v. 9. Ad hanc igitur sublimem adeò, & Cælestem gloriam ut pertingere valeret terrestris, ac per peccatum in terram penitus depressus homo, alas illi addere constituit Divina bonitas, per supernaturales, quas promisit, ac largissimè suppeditat, gratias, his enim instructus, modò sursum elevare se velit, viamque à Jurisprudentia Divina ejusque Vicaria Ecclesiastica signatam sequi, per actus supernaturales ab illis præscriptos, volatu rectissimo perget, nec requiescet, donec Deum infinitè bonum ac ultimum finem suum intellectu ac voluntate, contemplatione scilicet, & amore quasi duobus animæ brachiis; ut loquitur Doctor mellifluus *Epist 13.* arctissimè complectatur, in æternum nunquam dimittendum. Ut adeò dubitare nullatenus possimus, in statu hoc elevationis Jurisprudentiam Divinam ac Ecclesiasticam; (nam & hujus potestas non solum spiritualis sed & supernaturalis est, ut probat Eximius Lib. 4. de LL. cap. 1. conclus. 3.) per media & actus proportionatos fideles omnes ipsamque Ecclesiam ad supernaturalem hunc finem dirigere. Neque obstat, in Jure canonico permulta tractari, quæ nec spiritualia multò minùs supernaturalia sunt, v. g. de testamentis, contractibus, judiciis &c. nam etiam hæc, quæ omnino profana videntur, non aliter tractantur à Jure sacro, quàm sub respectu & relatione ad finem spiritualem & supernaturalem.

naturalem, quatenus temporalia ita curare debemus, ut æterna non amittamus.

199 Idem ferè sentiendum de Jurisprudentia naturali & civili, nisi illi divina & Ecclesiastica penitus incognita fuerit; nam etsi hæc ultra vires naturæ propriis ex principiis eluctari non valeant, ac naturalibus virtutibus, quæ excelsæ adeò & supernaturali fini proportionatæ non sunt, contentæ quiescere videantur; hoc ipso tamen, quòd officium hominis erga Deum legibus suis complectantur, Juri Divino ac Ecclesiastico assurgere jubent, quin & arctissimum cum illis connubium ambiunt, ut, quòd propriis aspirare nequeunt, pennis alienis provehantur, &, quam præsentem in statu suo in patrimonio non inveniunt, vitæ futuræ felicitatem à sponsis his castissimis in dotem accipiant: hinc quidquid Jure Divino aut Ecclesiastico prohibitum aut præceptum, etiam suo vetitum aut præscriptum cupiunt, ut non modò de jure naturæ certum; utpote cujus prima lex est: *Deum cole secundum principium ab eo revelatum*. Verùm etiam de Jure civili positivo perspicuum fit præsertim ex Codice ac pluribus Novellis; & in Codice quidem primò statim titulo pleraque religionis orthodoxæ mysteria disertè traduntur, ac *L. 8. ibid.* integerrima fidei confessio continetur, quam Justinianus Imperator per Epistolam ad Romanum Pontificem Joannem submisit: In hac confitetur, Romanum Pontificem ac sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput ac magistram esse. Sed de hoc alibi plura: licet igitur Jurisprudentia naturalis & humana politica impudatè & per se intendere non possint felicitatem supernaturalem Reipublicæ in vita futura, cum naturales, quas dirigunt, actiones eidem proportionatæ non sint, intendunt tamen illam per accidens, eò quòd præsentem in statu alia felicitas vitæ futuræ possibilis non sit, non quidem immediatè sed mediante Jurisprudentia divina & Canonica, quibus hunc ipsum in finem individua adhærent comites, suisque legibus septas inviolabiles reddere conantur, ut vel sic cives ac rempublicam verè felices etiam in vita futura efficiant. Atque in hoc de jure naturali, quod eundem cum lege divina Auctorem habet, controversi vix potest; major tamen difficultas videtur de lege civili. Verùm sicut irrita est lex civilis, si contra clara juris naturæ principia pugnet, ita nulla quoque & invalida erit, si contra leges divinas aut etiam Canonicas aliquid statuat, nisi fortè legis canonicæ materia adiophora aut merè profana fuerit. Ut ex sequenti controversia magis elucescet.

CONTROVERSIA. IV.

Utrum Jurisprudentia præcipiendo vel permittendo necessariò versetur circa materiam honestam, prohibendo circa materiam inhonestam: ubi etiam de intellectu legis 144. ff. de R. J. Non omne, quod licet, honestum est.

Proponitur status Questionis.

200 **U**T statum quæstionis ritè intelligas, sciendum, à Communi Doctorum actuum moralium honestatem uti & inhonestatem dividi in formalem & radicalem; formalis honestas ex mente illorum est conformitas actionis cum lege vel consilio, inhonestas verò formalis difformitas illius cum sola lege; actus enim, qui consilio solùm difformis est, inhonestus dici nulla ratione potest. Unde patet, quòd sicut formalis honestas haberi

beri non potest, nisi habeatur lex vel saltem consilium, ita quoque haberi, quin etiam nec affirmari possit formalis inhonestas sine lege. Contra verò radicalis honestas aliud esse non videtur, quàm certa actionis qualitas, ob quam illa à lege præcipi aut à consilio suaderi debeat, si honestas radicalis sit positiva; aut permitti possit & debeat, si honestas radicalis negativa tantùm fuerit; inhonestas radicalis autem est talis qualitas actionis, ob quam hæc à lege simpliciter prohiberi debeat, ac etiam puniri possit. Unde autem diversa hæc actionum qualitas desumenda sit? dubitant plerique; nemo ullus, quem viderim, sine hæsitatione aliqua explicat: ego verò stantibus, quæ hoc §.º præmisimus, rem in aprico esse reor: censeo igitur, illam actionem, abstrahendo à lege vel consilio, positivè honestam saltem radicaliter esse, quæ ad finem à Jurisprudentia intentum vel simpliciter necessaria vel saltem admodum proficua est; ea enim actio, quæ ad finem hunc necessaria, necessariò quoque per legem præcipienda, quæ utilis consilio saltem suadenda foret; illa verò actio radicaliter negativè solùm honesta est, quæ fini huic consequendo nec obesse nec prodesse potest; talis namque actio nec præcipi nec prohiberi posset, sed necessariò permitti deberet, eò quòd lex talis ad finem Jurisprudentiæ intentum inutilis & consequenter nulla futura esset. Illa denique actio radicaliter positivè inhonesta dicenda, adeoque per legem necessariò prohibenda aut etiam punianda est, quæ talis est, ut à fine hoc consequendo retrahat, vel illi etiam omnino repugnet. In exemplo. Amor Dei super omnia ante omnem legem, etiam naturalem, radicaliter positivè honestus est, utpote qui ad finem Jurisprudentiæ præsertim ultimum seu felicitatem vitæ futuræ consequendam vel maximè conducit: imò quia ad finem hunc obtinendum omnino necessarium est; ut sæpius saltem per vitam eliciatur (unde justissimè condemnatae fuerunt: propositiones 5. 6. & 7. ab Innocentio XI.) eatenus etiam sub legem cadere & à Jurisprudentia præcipi debet, quamvis ut valde frequenter eliciatur, consilii quidem, non tamen præcepti esse possit, & consequenter ommissio actuum horum, non præceptorum, permissa esse debet; quia ad finem hunc nec conducit, nec abducit. Contra verò quia odium Dei, blasphemia &c à fine Jurisprudentiæ non solùm futuræ, sed etiam vitæ præsentis felicitate retrahit, illique omnino repugnat, radicaliter positivè inhonesta, ac necessariò prohibenda. Et ratio est. Hoc ipso, quòd Jurisprudentia pro fine sibi præfixerit salutem populi, non modò vitæ præsentis sed etiam futuræ, etiam media ad illum necessaria & conducentia præscribere, impedimenta verò & obstacula per leges suas removeere tenetur. Verùm de hoc pluribus agetur, ubi de Jure naturæ & aliis Jurisprudentiæ partibus in specie agemus.

Quare neutiquam aberraturum crederem, qui ad dignoscendam radicalem actionum honestatem vel inhonestatem vetus illud & famosum Ictorum effatum pro Regula generali statueret: *summus omnium legum finis est salus publica, salus populi suprema lex esto*, modò pronuntiatum hoc intelligat juxta superius dicta de salute & felicitate populi non solùm externa sed interna quoque, non hujus tantùm vitæ sed etiam futuræ; hac enim ratione non in una tantùm aut altera, sed in omni omnino Jurisprudentia sive necessaria sive voluntaria divina vel humana procederet: omnes enim, ut dictum, hunc in finem collimant & quidem Jurisprudentia Naturalis & Civilis per accidens saltem & mediata supernaturalem etiam vitæ futuræ felicitatem intendunt. Hinc si scire cupias, an actio aliqua radicaliter honesta vel inhonesta sit? felicitatem publicam & populi respice,

non tantum præsentem, sed vel maximè futuram; illa quippe propter hanc solum intenditur; neque enim in vita præsentem felicitatem quæreret, quæ à futura excluderent: & si videris actionem aliquam ad finem hunc consequendum necessariam aut saltem non parum proficuum esse, actionem radicaliter honestam habebis; inhonestam verò radicaliter, si cum fine hoc pugnet. nec refert, Jurisprudentiam naturalem & civilem ejusque actiones utpote merè naturales ad felicitatem vitæ futuræ supernaturalem conducere nil posse; quia etsi sibi solis relictæ positivè ad finem hunc nullatenus prodesse possint, per has ipsas tamen actiones etiam positivè ad hunc finem conducerent, si à Jurisprudentia divina & Ecclesiastica gratiæque supernaturali à Deo liberalissimè promissa eleventur; quin etiam hoc ipso, quòd ea præcipiant, quæ ad beatitudinem naturalem consequendam necessaria forent, prohibeant verò illa, quæ ab illa excluderent, remonent illa, quæ etiam ab hac felicitate excluderent, sicque saltem negativè ad illam conducunt; quæ enim jus naturæ & civile prohibet & præcipit, jus quoque divinum & Ecclesiasticum præcepta & vetita esse cupit.

202 Status igitur quæstionis præsentis in controversia est, an Jurisprudentia non possit aliam actionem præcipere, nisi positivè honestam & conducentem ad ultimum finem; nec aliam permittere, nisi actionem saltem negativè honestam? & quod inde consequens est, utrum non possit præcipere aut saltem permittere, sed necessariò prohibere debeat actionem positivè inhonestam? sive deinde honestas hæc & inhonestas radicalis sive formalis fuerit. Et quidem, quod attinet jus naturæ, de alia honestate quæri non potest, nisi de radicali, cum jus naturæ nullam legem priorè superponat: loquendo verò de Jurisprudentia divina & humana tam, Ecclesiastica quàm civili procedit quæstio non solum de honestate formali, sed etiam radicali; formali quidem, quia quæ legibus naturalibus subsistant, jam ante legem positivam etiam divinam formaliter honesta vel inhonesta sunt; radicali verò, quia contingere potest, ut ea, quæ jure naturæ permittuntur sicque formaliter saltem negativè honesta sunt, respectu legis positivæ radicaliter positivè honesta aut inhonesta fiant: sic etiam si de jure naturæ quilibet rerum suarum moderator & arbiter sit, sicque de iis, quæ pleno jure possidet, pro libito disponere possit, hæc tamen dispositio quòd bonum publicum pluribus interdicta est, ut pupillis, minoribus, prodigis &c. ipso Apostolo Paulo probante ad Galathas c. 4. *quanto tempore heres parvulus est, nil differt à servo, cum sit Dominus omnium sed sub tutoribus & actoribus est.* Similiter contingere potest, ut ea, quæ de jure naturæ formaliter honesta sunt, radicaliter inhonesta, quæ verò formaliter inhonesta, radicaliter honesta fiant respectu juris positivi; sic jure naturæ illicitum est cum detrimento alterius locupletari L. 206. ff. de R. J. & tamen ex concessione Dei licitè ita discebant Israëlita in Ægypto, hodièque innumeri cum damno alterius honestè locupletantur per præscriptionem, item honestum est de jure naturæ, abstrahendo saltem à republica, ut quis in propria etiam causa Judex sit, secus dicendum de jure positivo, ut alibi explicabitur. His notatis

Præmittuntur Certiora.

203 **D**ico I. Jurisprudentia naturalis actiones radicaliter inhonestas omnes necessariò prohibet; 2. Actiones verò radicaliter honestas, non quidem omnes, sed eas dumtaxat, necessariò præcipit, quæ ad finem ipsi præfixum

fixum moraliter necessariæ sunt. 3. Cæteras autem suadendo consulit, earumque omissiones, modo inhonestæ non sint, permittit, & consequenter non potest versari præcipiendo aut permittendo circa materiam inhonestam, aut prohibendo circa materiam honestam: Ratio est manifesta. Qui enim efficaciter intendit finem, debet etiam, quantum in se est, tollere impedimenta & procurare media ad finem hunc consequendum necessaria, sed impedimenta & obstacula sunt actiones radicaliter inhonestæ & quidem omnes; hæc enim felicitatem præsentis vitæ impediunt, ab illa in vita futura excludunt; media verò necessaria ad illam obrinendam sunt actiones radicaliter honestæ, & quidem positivè tales: ergo Jurisprudentia naturalis illas necessariò prohibet, has præcipit; non quidem omnes, aliquæ enim ex actionibus honestis, etsi utilissimæ ad finem hunc forent, ita arduæ & difficiles sunt, ut à plerisque vix ac ne vix quidem sperari possent, & consequenter jus naturæ, aut aliud quodcunque illas absolutè præcipere non potest; de essentia enim legis est, ut subditis proportionata sit, & talis, cujus impletio saltem à plerisque sperari possit, aliàs plus noxia quàm utilis & consequenter lex non foret. Imò jus naturæ nec omnes actiones honestas minùs arduas præcipere potest; quia etsi singulæ seorsim spectatæ magnam ad eò difficultatem non haberent, omnes tamen utpote infinitæ, & continuò exercendæ non solum moraliter impossibiles forent. Hinc dixi, eas solum à Jurisprudentia naturali præcipi, quæ ad finem ipsi præfixum moraliter necessariæ sunt, ne nimia legum multitudo turbet potius quàm juvet rempublicam. Ut de legibus humanis loquitur Imperator in *Confirm. Digest.* quin tamen cæteras actiones omnes ut ut arduas, & innumeras suadendo consulere, earumque omissiones indifferentes permittere debeat, nullus est ambigendi locus.

Dico II. Jurisprudentia Divina omnia illa necessariò præcipit aut prohibet, quæ jure naturæ præcepta aut prohibita fuere: adeoque neque hæc Jurisprudentia præcipiendo aut permittendo versari potest circa actiones inhonestas, prohibendo circa actiones honestas; antecedenter enim ad legem divinam nihil erat formaliter aut etiam per se radicaliter honestum aut inhonestum, nisi quod lege naturæ præceptum aut prohibitum erat. Ratio denuo est clara; ea enim, quæ de jure naturæ præcepta, erant, per gratiam supernaturalem elevata non modò ad finem ejus supernaturalem utilia sed etiam necessaria sunt; prohibita verò à fine hoc supernaturali non minùs impediunt, quàm in statu naturæ puræ à felicitate naturali retraxissent: igitur homini ad præcelsum adeò finem elevato illa præcipi, hæc prohiberi debuere. Neque enim Deus ut absolutus Dominus probare seu præcipere aut permittere potuit, quod ut Auctor naturæ necessariò prohibuit; imò nec prohibere aut etiam hominis arbitrio relinquere potuit ea, quæ necessariò præcepit; quia si efficaciter vult finem à se intentum, media quoque ad finem necessaria ac impedimenta sublata velle debet.

Quamvis verò Deus, ut absolutus Dominus legibus naturalibus & necessariis plures superaddiderit, ut in lege gratiæ perspicuum est ex legibus circa materiam fidei & sacramentorum, in lege Moysis ex legibus Ceremonialibus & Judiciariis, quin etiam ex circumstantia sabbati in legibus moralibus: in lege denique naturæ elevatæ ex *cap. 9. Genes. v. 5. & 6.* ubi Deus Noacho & filiis prohibuit, ne carnem cum sanguine comedant, præcepitque, ut, quicumque effuderit humanum sanguinem, fundatur sanguis illius, de quibus omnibus pluribus agetur suo loco, nullatenus tamen leges hæc ad finem hunc supernaturalem consequendum simplici-

ter necessariæ fuerunt, abstrahendo saltem ab adoranda Dei voluntate, qui, etsi actiones à jure præceptæ, si gratia supernaturali elevatæ fuissent, abunde suffecissent ad obtinendam felicitatem hanc supernaturalem, noluit tamen ad sublimem adeò nobisque indebitum finem solas leges illas necessarias sine legibus suis positivis sufficere, ut ex certissima ejus revelatione abunde constat. Et quis ei dicere audebit, cur ita facis? excedunt naturæ vires actiones illæ, quas lex divina hæc imperat, non inficior, sed quod difficile, quod impossibile naturæ, sibi soli relictæ, non modò possibile sed & facillè redditur per gratiam, quam liberalissimè promisit ac liberalius suppeditat Legislator Divinus; per hanc enim jugum Christi suave & onus leve redditur. Hinc *firmissime creditur Deum Justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere*, ut loquitur Augustinus lib. de nas. & grat. 96. multò minus actu præcepisse, ut contra Lutherum & Calvinum definit sacra Tridentina synodus sess. 6. can. 18. de Justificat.

206 Dico III. Jurisprudentia humana sive Canonica sive Civilis præcepta à Jure naturali & Divino necessariò præcipit; prohibita verò ab illis necessariò prohibet; & licet ex iis, quæ ex Junibus his tantum consilii sunt, pro rei exigentia aliqua præcipere possit, non alia tamen approbando permittere potest, quàm ea, quæ utroque hoc Jure fuere permilla. Ratio hujus non clara tantum & manifesta, sed evidens esse videtur. Quia potestas ferendi leges Ecclesiasticas Ecclesiæ collata fuit à Deo ut absoluto Domino, potestas verò statuendi leges Civiles Reipublicæ data est à Deo Auctore naturæ, ad ædificationem, non ad destructionem: adeoque ut leges à Divino Legislatore latas custodiant, ac inviolatas conservent, earum observantiam urgendo, ac novis pro rerum exigentia muniendo, sicque subditos sibi commissos ad finem ab illo præfixum dirigant; quod nunquam præstabunt, nisi quæ ille ad finem hunc necessaria præcipit, aut prohibet, jubeant pariter & vetent: ergo nisi limites potestatis suæ excedere, legesque Dei, quantum in se est, ausu sacrilego tollere non vereantur, non poterunt prohibere ab illo præcepta, nec jubere vel etiam approbando permittere, quæ ab illo vetantur, & consequenter hæc quoque Jurisprudentiæ præcipiendo & permettendo circa materiam saltem negativè honestam, prohibendo verò semper circa materiam inhonestam versabuntur.

Cardo controversiæ Explicatur.

207 QUAM certa autem hæc nobis videntur, tam communia ac recepta sunt, si de Jure naturali, Divino, ac Ecclesiastico solum loqui velimus, de jure verò Civili non pauci sunt, qui contradicunt; Civis enim Jurisprudentia si Machiavelli assedas, ferè dixissem, politicoos hujus temporis audiamus, temporalem duntaxat & externam Reipublicæ felicitatem, quam politicam vocant, intendit, hinc quidquid illi conservandæ ac promovendæ inservit, præcipi prohiberi aut permitti potest, nullo habito discrimine, honestum an inhonestum, virtus an vitium fuerit? perverse adeò doctrinæ fundamentum si petas, cum Magistro suo ajunt (neque enim credere possum, eos ita sentire, si homines, si rationales sunt) non posse esse verum Regem & stabilem, qui legibus virtutis adstringitur, eisque omnino subjicitur. Verum pernitiola adeò secta sua se impietate satis confutat; vel enim Deum esse dissentientur insipientes athei? Et ob immane hoc scelus tanquam pelbes infernales omni ex Republica proscribendi, quin & ferro & igne extirpandi forent: vel Numen aliquod supremum
ada.

adorant! & nisi illud cum ineptientibus stoicis, ut colligitur ex Seneca de provident. Fato subdicere, sicque quod una manu ædificant, altera destruere velint, in hoc ipso Numine non verum tantum & stabilem Regem, sed Regem Regum & Dominum Dominantium infinite perfectum ac immutabilem venerabundi suspicient: si igitur per hunc Reges humani regnant, & legum conditores iusta decernunt, si tota horum potestas ex ejus concessione nutuque omnipotenti dependet, ut veri & stabiles sint Reges, legibus virtutis adstringi, illisque omnino subjici debebunt, ne, si limites ab Ipso positos transfiliant, ab eo vetita præcipiant aut permittant, præcepta in summum ejus contemptum abrogent, non Reges sed tyranni, non pastores sed laniones Reipublicæ evadant: neque enim Respublica est propter Principem, sed bonus Princeps propter Rempublicam, ut illam ad finem à Deo præfixum dirigat, quod nunquam præstabit, si media ad finem hunc necessaria, quæ Deus supremus legislator constituit, negligat; si enim magistratus inferior superioris, à quo constitutus est, legibus derogare nequit, multò minùs legislator humanus etiam supremus præceptis Dei legislatoris summi derogare poterit. Et nunquid etiam Princeps latronum ea præcipit, quæ cum societate sua & ejus fine conveniunt? ergo etiam hujus Respublica benè constituta erit, licet iniqua & injusta præcipiat, quia fini talis civitatis conveniunt.

Plura non addo; nam si Christiano, imò si homini rationali loquor, 208 non certum modò, sed evidens ipsi erit, Deum dari, hujusque legibus parendum esse, adeoque nec ab illo præcepta prohiberi, nec prohibita præcipi posse à legislatore humano. Hoc tamen non obstante, satis recepta & communis inter Doctores orthodoxos opinio est, posse legislatorem humanum à Jure naturæ vel Divino prohibita permittere, eo saltem casu, quo permissio hæc necessaria foret ad evitandum maius malum Reipublicæ; quia, ut ajunt, etiam Jus naturæ & divinum exigit, ut inter duo mala minus eligatur, quo etiam collimat L. 200. ff. de Reg. Jur. ibi: *quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis.* confirmari hoc ipsum videtur ex variis legibus humanis præsertim civilibus, ex quibus aliquas adducere lubet.

I. Jure Civili permissum est Patri adulterum cum filia occidere, si 209 filiam in potestate habeat, atque in sua vel generi domo in adulterio deprehendat. Ut clarum est ex L. 20. & duab seqq. ff. ad L. Jul. de adulter. modò utrumque & in continenti occidat, si enim solam filiam aut solùm adulterum interficeret, lege Cornelia reus erit L. 32. eod. similiter L. 24. ibidem conceditur marito adulterum cum propria uxore deprehensum occidere, modò talis sit, qui vilioris sit conditionis & probrosè vixerit, quamvis uxorem simul occidere non possit; ut enim L. 22. §. fin. habetur, mariti calor & impetus facillè decernentis fuit refrenanda, non verò Patris, quia pietas paterni nominis plerumque consilium pro liberis capit. Imò si maritus ei, quem suspectum habet de sua uxore, ter in scriptis denunciaverit sub præsentia trium testium fide dignorum, & post invenerit eum convenientem uxori suæ, in domo sua, vel uxoris vel adulteri, vel in popinis, vel in suburbanis sine periculo eum perimet, ut dicitur: *Auth. si quis ei C. ad L. Jul. de adult. Novell. 117. cap. 15.* huc etiam facit *can. 5. caus. 33. q. 2.* ubi Nicolaus Papa Rudolpho Bituricensi Episcopo ita rescribit: *interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis adulterarum, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ:* igitur ex mente Pontificis etiam maritis liceret conjuges adulteras occidere; insinuare enim videtur, maritos homicidas non fore, si adulteras occiderent. Idem sentire videtur Stephanus Papa, quia

*

G g

can.

can. 8. caus. 3. q. cit. reprehendens Hastulphum ob uxorem interfectam addit: *non invenisti eam cum alio viro rem nefariam facientem*, quasi si eam sic invenisset, reprehendendus non fuisset. Jam sic leges hæc aperte pugnant contra jus divinum, & quidem contra quintum decalogi præceptum: *non occides*. Nimirum propria auctoritate, & nisi ad justam tui defensionem necessarium sit: & tamen leges istæ justæ & validæ sunt: ergo potest lex humana ea, quæ lege divina vel naturali prohibita sunt, exigente bono publico permittere. Si justas esse negas has leges, non modò perspicacissimos JCTos Romanos & Græcos à tempore Solonis Cæcitatibus arguere, sed orthodoxos etiam Imperatores grandis piaculi damnare debebis, quod turpissimè fœdatæ per obscœnitates hujusmodi Reipublicæ legibus his mederi voluerint, sicque ex duobus malis minus elegerint; gravius enim malum est, turpissima hæc scelera passim invalescere, quàm unam altrâmve adulteram aut adulterum etiam in ipso peccato ad tartara detrudi, ut hac ratione cœteri ex timore imminentis jamjam vindictæ ab enormi adeò scelere deterreantur. Si validas esse inficiaris, repugnabunt Doctores gravissimi; validas enim has leges esse plures ex Legistis contendunt cum Julio Claro *Lib. 5. receptor. §. homicidium vers. sed hæc quidem*. Quod ipsum aliqui ex Theologis cum Lessio *Lib. 2. cap. 9. dubio 5. n. 16.* probabile putant, hac potissimum ratione nixi, quòd leges & statuta, quibus Bannitos ac transfugas *L. 3. §. 8. ff. ad L. Cornel. de siccar.* ubicunque inventi fuerint, occidere licet; validæ à plerisque omnibus credantur. Ad hæc si leges has improbare velis, eodem jure etiam protoparentes nostros Germanos veteres paris cæcitatibus aut impietatis arguere debebis; hi enim poenam adulterarum sine omni judicio maritis permisere, ut refert Tacitus de moribus Germanorum.

210 II. Jure civili cuilibet soluto impunè licet habere concubinam domi suæ, modò hæc una & talis sit, ut cum ea non dicatur stuprum committi, adeoque si nec virgo, nec honesta vidua fuerit, vel si talis fuerit, stuprum saltem diutina cohabitatione, aut viri declaratione, qua protestetur, se illam pro concubina habere velle, purgetur, illaque re ipsa in habitu ac instar concubinæ publicè retineatur, propinquis, amicis & vicinis scientibus & videntibus ut clarum est ex *tot. tit. ff. de concubin.* Farinaceus *q. 138. per tot. item C. eod. tit.* ubi solum uxoris concubinatus interdicitur. Idem aliqui permissum contendunt de Jure Canonico nimirum *can. 4. dist. 34.* desumpto ex Concilio Toletano I. *Can. 17.* ubi dicitur, qui pro uxore concubinam habet, à Communione non repellitur. *can. 5. seq.* Ubi Isidorus dicit, quòd Christiano licitum sit habere uxorem unam tantum, aut loco uxoris concubinam. *Can. 6. ibid.* Ubi Augustinus ait: *non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis & ducatis uxores.* Ergo inquit, licitum est Christiano habere concubinam, quam nunquam dimittat. Id quod confirmari putant ex *can. 5. & 6. caus. 32. q. 2.* in quibus idem S. Pater justum appellat concubinatum, ac non absurdè connubium appellari dicit, si quis liberorum causa concubinam habeat, ac cum ea convenit, ut ad mortem usque sibi invicem fideles maneant: atqui etiam hæc denuo leges juri naturali & Divino seu sexto decalogi præcepto: *non mechaberis*, manifestè repugnant; quod enim præter uxorem legitimam committitur, adulterii crimine damnatur *can. 9. caus. 32. q. 4.* & sicut furti nomine omnis illicita rei alienæ usurpatio intelligitur, ita nomine Mœchiæ omnis concubitus extra matrimonium intelligi debet *can. 11. caus. 3. q. cit.* & tamen si ad evitanda graviora Reipublicæ mala necessarium foret, ut concubinatus impunè toleretur, justæ omnino ac validæ essent, ut à paritate cum lupanaribus evinci videtur: ergo.

III.

III. Quamvis non modò Jure naturali & Divino sed etiam humano Civili summa sit ratio, quæ pro Religione facit *L. 43. ff. de Relig. & Sumpt. funer.* veràmque & salvificam Religionem unicè conservatam sartam, tectàmque velit Jurisprudētia; si enim ex Principum Conniventia hæreses falsæque sectæ in Rempublicam irrepant, desperatum est de felicitate illius, non vitæ futuræ tantùm sed etiam præsentis. Neque enim inter cives firma esse possunt pacis foedera, si rupto fidei & religionis vinculo bello intestino conflagret civitas; siquidem in vera Religione sita est patriæ tranquillitas, hac convulsa nutant, hac excisa cadunt Regna & Imperia. Nihil gravius Coeleste Numen vindicare solet, quàm violatæ Religionis contumeliam & neglecti cultûs sui ignomiam, ut jam olim agnovere orthodoxi Imperatores; hinc sanctionibus suis toto Imperio proscribere, ferròque ac igne persecuti sunt omnes eos, *qui vel levi argumento à judicio Catholice Religionis, & tramite detecti fuerint, deviare L. 2. & tot. tit. C. de hæret.* hoc tamen non obstante contingere potest, & utinam nunquam contigisset, ut Princeps orthodoxus prudenter ac licitè hæreticis, sectisque à vera Ecclesia damnatis suis in ditionibus, impunitatem publica etiam lege cavere, quin & addito juramento promittere possit; si nimirum Reipublicæ necessitas exigat, atque ad avertenda graviora mala necessarium sit, ut Novatoribus v. g. rebellantibus aut rebellaturis hæc impunitas concedatur. Exemplum hujus tristissimum habemus in ferrea illa, ac dira necessitate extorta pace Passaviensi, quæ à Religione vel deformata, vel quantum licuit conservata Religiosa dicta est. Eò quippe calamitatis per funesta Lutheri incendia devenerat orthodoxa Germania, ut aut inde migrandum catholicis, aut libertas Religionum protestantibus permittenda fuerit: igitur non modò validè sed & licitè ac prudenter egere Imperator ac Principes orthodoxi, dum reluctante licèt calamo ac fluentibus lachrymis funestæ huic paci subscribere, sicque inter duo mala minus elegerunt majus enim haud dubiè malum fuisset, si Religio Catholica toto ex Imperio migrare aut cum pauculis in speluncas & cryptas subterraneas ad furtiva sacra, ut ita loquar, confugere debuisset. Quare neutiquam dubitandum videtur, posse Jurisprudētia humanam permittendo saltem versari circa objectum inhonestum, seu jure naturæ de divino prohibitum. Verùm in his aliisque pluribus necessariò distinctio adhibenda est. Hinc

Nostra Sententia.

Respondeo & Dico. Nunquam & nullibi potest Jurisprudētia humana 212
 permittere approbando, quæ jure naturali vel Divino prohibita sint. 2. Imò neque Jurisprudētia civilis approbando permittere potest prohibita jure Ecclesiastico, si sermo sit de materia spirituali aut Ecclesiastica. 3. Potest tamen Jurisprudētia humana prohibita Jure naturali & divino, vel civilis prohibita jure Ecclesiastico permittere improbando, si hoc necessarium omnino fuerit ad evitandum majus malum Reipublicæ. Responsio hæc debet esse omnium orthodoxorum, & Ratio I. Partis est clara, tum quia, ut supra n. 206. diximus, sicut legislator humanus non potest improbare à Deo præcepta, ita non potest probare à Deo prohibita; cum utique facere non possit, ut actus aliquis non sit contra Jus Divinum, aut etiam extra poenæ Divinitus imminentis metum; tum quia, si omnis lex debet esse jussus imperantis in bonum Communitatis, id est ad finem Communitati à Deo primo & summo omnis Reipublicæ Auctore præfixum, conducens, lex illa humana, quæ approbando permitte-

ret à Deo prohibita, lex esse non potest. II. Pars passim definita habetur in Jure Canonico nimirum *can. 6. dist. 96. sect. 1. §. 1. cit. item can. 12. ibid.* ubi Joannes Papa inquit: *si Imperator Catholicus est, quod salva pace ipsius dixerimus, filius est non Præsul Ecclesiæ, discere ei convenit, non docere, habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus consecutus est, ut ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nihil usurpet; ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sint Ecclesiæ suæ, sacerdotibus voluit esse subjectas.* Nimirum in spiritualibus & Ecclesiasticis: fecit enim Deus duo luminaria magna in firmamento coeli seu Ecclesiæ, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritas & Regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus seu spiritualibus major est, quæ verò Carnalibus minor &c. ut Constantinopolitano Imperatori Innocentius III. rescripsit. *c. 6. de major & obed.* Nam ut perhibet Bonifacius VIII. *Extravag. 1. de major. & obed.* duo sunt gladii in Ecclesia; spiritualis videlicet & temporalis; hic quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus, ille Sacerdotis, hic manu Regum. *oportet autem esse gladium sub gladio & temporalem Auctoritatem spirituali subjici potestati: nam cum dicat Apostolus, non est potestas nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema &c.* Atqui si à legislatore Civili approbando permitti possent, quæ in materia spirituali aut Ecclesiastica à Jure Canonico prohibentur, legislator hic Ecclesiæ subjectus & consequenter ejus filius non esset, nec potestas Regalis minor authoritate Pontificia, nec Gladius temporalis sub gladio spirituali constitutus foret; quia improbata ab Ecclesia probare posset: ergo. III. Pars hoc discursu manifestè evincitur. Jure naturali & Divino tenetur legislator humanus rempublicam sibi commissam ad finem illi præfixum dirigere adeoque, quantum potest, mala seu impedimenta & obstacula ab illo retrahentia tollere: hoc autem præstat legislator, qui malum aliquod minus improbando permittit, ut evitet majus, quod casu, quo minus illud prohiberet, Reipublicæ certò certius immineret; hac enim ratione aliud non faceret, quàm quòd inter duo mala, quorum utrumque moraliter averti non potest, minus eligeret: imò non eligeret sed improbando permetteret, sicque non faceret malum, ut eveniret bonum, quod omni jure prohibitum est; si enim malum minus, quod improbat, permittit, ne majus certò imminens eveniat, non malè sed benè agit; quia malum, quantum hic & nunc possibile est, evitat; ut ex paritate cum invincibiliter perplexo, qui utrumque contradictorium malum, magis tamen unum quàm alterum peccaminosum putat, manifestum fit: ergo non modò potest, sed etiam tenetur legislator humanus improbando permittere minus malum, si ad evitandum majus certò imminens necessarium foret.

213 Confirmatur hæc Responsio ex utroque Jure. Ex una parte nequit Inferior abrogare legem superioris nec illi derogare. *Clem. 2. de Elect. can. 97. & seqq. caus. 11. q. 3. L. 2. C. de off. Præf. Prætor orient. Auth. Cassa de SS. Eccles.* Adeoque nec à superiore prohibita approbando permittere potest; hoc enim si faceret, quantum in se est, leges illas abrogare conaretur, ac peccantibus consentiret; *qui autem peccantibus consentit, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines can. 100. caus. & q. cit.* ex altera parte de se illicita possunt imò debent quandoque à Jure humano tolerari ad tempus, si id simpliciter necessarium sit ad evitanda majora mala ut colligitur ex Evangelio, ubi Christus noluit superseminata ab inimi-

co Zizania ante tempus messis eradicari, ne fortè cum illis triticum evel-
leretur. Idem desumitur *ex C. 18. de præbendis.* igitur licèt legislator huma-
nus non possit Jure naturæ vel Divino prohibita, legislator verò civilis
prohibita à Jure Canonico in materia illi propria approbando permittere,
poterit tamen, si id ad evitanda majora mala necessarium fuerit, etiam ta-
lia permittere improbando, hac enim ratione felicitati Reipublicæ pro-
spicit, quantum hïc & nunc fieri potest.

Duo tamen sunt, quæ de lege tali permittente, seu lege aliqua supe- 214
riore vetita impunè tolerante, altiùs animo imprimenda sunt. Primum
est, illam nec licitam nec validam esse, nisi periculum illud gravioris ma-
li certum sit, certòque spes affulgeat, gravius illud malum imminens per-
missione improbativa minoris, nec alia ratione averti posse. Ratio est;
ut enim lex valida & licita sit, utilis & pro utilitate Reipublicæ lata esse
debet, hoc est debet conducere ad finem & felicitatem Reipublicæ non
modò hujus sed etiam alterius vitæ *C. 2. dist. 4.* sed si malum illud gra-
vius, quod imminere dicitur, timendum non foret, aut alia ratione aver-
ti posset, vel etiam si certò immineat, permissione tamen minoris mali a-
verti non posset, lex hæc permittens, nulla ratione conduceret Reipubli-
cæ ad finem suum, omnique profus utilitate destitueretur: igitur nulla
& illicita foret: neque enim permissio minoris mali alia ratione cohone-
stari potest, nisi per impeditionem majoris mali, nulla alia ratione evita-
bilis, siquidem tunc solùm licita est permissio minoris mali, si majus ma-
lum, quod timetur, non alia ratione, quàm permissione hac impediri po-
test. Alterum est, legem hanc permittentem cessare ac evanescere, si
cum tempore periculum gravioris illius mali evanesceret, aut alia ratio-
ne averti posset. Ratio hujus, quod ex præcedente sua sponte fluit, ea-
dem ferè est, quia cessante fine & utilitate legis cessat lex, ut unanimiter om-
nes fatentur, atque ex legis essentia evidens est; atqui si periculum hoc
gravioris mali non amplius immineret, aut aliter & modo licito averti
posset, cessaret finis & utilitas hujus legis: ergo etiam cessaret lex, adeó-
que quæ priùs lege tali improbativa permissa fuissent, denuo ut priùs pro-
hibita evaderent.

Ex his jam haud difficulter colligi poterit, quinam possit esse sensus 215
L. 144. ff. de R. J. non omne, quod licet, honestum est. Et imprimis, si Jctus
Paulus, cujus est hæc regula, respexit ad illa, quæ fortè ad evitanda ma-
jora mala lege aliqua humana improbando permissa erant, ut de concu-
binatu sentiunt Corasius, Forsterus, Wesenbecius, Müllerus ad struvium
Exerc. 30. thes. 85. pellucidum est, illud, quod lege tali permittente licet,
honestum non esse. Quod si verò ut censet Petrus faber ad *Reg. cit.* Pau-
lus de conjunctionibus solùm maritalibus & connubialibus locutus est,
idémque voluit; quod Modestinus *L. 197. ff. ibid. semper in conjunctionibus
non solùm, quid liceat. considerandum est, sed & quid honestam sit.* Licitum
accipiendum non est pro inhonesto improbativè permissio, sed pro mi-
nùs decenti & honesto, in quo sensu etiam Gentium Apostolus 1, *ad Cor.*
cap. 6. & 10. dixerat: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt;* id est non
omnia, quæ inhonesta non sunt, decentia sunt, conducunt vel expediunt:
v. g. ut frater cum fratre judicio contendat, de quo inter alia loquitur
cap. 6. rursus utique per se inhonestum non est, ut quis, quod suum est,
quærat, & tamen *cap. 10.* subjungit: *nemo quod suum est, quærat, sed quod
alterius;* hoc enim expedit, hoc ædificat magis. Atque in hoc etiam sensu
ex mente Fabri Paulus Jctus ex lumine naturæ licitum honesto opposuit,
& quidem respiciendo conjunctiones connubiales. Sic filius emancipatus
jure

jure civili licitè potest etiam sine consensu Patris uxorem ducere *L. 3. §. 5. ff. de bon. poss. contr. tab.* plebejus licitè ducit uxorem ignominiosam, arenariam, scenicam aut quæ corpore quæstum fecit *arg. L. 44. ff. de Rit. nupt.* non tamen honestè agunt, hoc est minùs honestum est, quod faciunt. Nam ut Seneca in *Octavia* ait: *id facere laus est, quod decet, non quod licet.* & Claudianus in *paneg. in 4. consul. Honorii: sed comprime motus, nec tibi quid liceat, sed quod fecisse decebit, occurrat, mentemque domet respectus honesti.* Videatur Gothofredus in notis, qui Regulæ huic utrumque hunc sensum attribuere videtur. Item Petrus Faber ad utramque regulam citatam.

Respondetur ad Rationes dubitandi.

216 **EX** his jam difficultas opposita sua spontè evanescit; etsi enim nullatenus inficiemur, legislatorem humanum ad evitanda majora mala, quæ cerrò imminere creduntur, nec aliter evitari valent, minus malum permittere posse, modò permissio hæc conducat ad graviora illa evitanda, hanc tamen permissionem improbativam esse debere contendimus, eò quòd improbata à lege superioris probare non possit inferior. Adagium hoc, quod ex Aristotele *5. Ethic. ac Cicerone lib. 3. de off.* desumptum est, si eligere propriè accipitur, intelligendum est de malis poenæ vel damni in bonis temporalibus; prout vel in facetiis suis agnovit Magnus ille Angliæ Cancellarius Thomas Morus; interrogatus enim, cur tam parvam duxisset uxorem? reposuit: ex duobus malis minus eligendum: nulla ratione verò intelligi potest de malis culpæ; neque enim licet facere malum, ut eveniat bonum; aliàs non modò licitum, sed etiam per se præceptum esse posset mendacium; si hoc necessarium videretur ad salvandam Rempublicam, vel etiam ad impediendum quodcunque aliud peccatum gravius, quod tamen indubitato falsum esse alibi ostendemus. Idem cum proportione dicendum de *L. 200. ff. de R. J.* ut videre est in Commentariis Fabri. Sanè si legislator humanus ex duobus malis culpæ propriè posset minus eligere, vel approbando permittere, nulla foret ratio, cur illud non etiam præcipere posset; aut cur Principi supremo non omnia, quæ lubent, etiam licerent; cùm enim nulla lege humana stringatur, omnia ipsi, spectata sola hac lege, permissa forent, & consequenter omnia, modò vellet, ipsi licita essent; si enim, quæ lege superioris prohibita sunt, approbativè permittendo licita facere potest subditis suis, id ipsum etiam respectu sui ipsius poterit, ne ex hac sola causa, quia Princeps est, deterioris sit conditionis, quàm subditorum infimi: non poterit igitur legislator humanus inter duo mala culpæ, seu peccata alia ratione minus eligere, quàm improbativè permittendo minus, ut evitetur majus.

217 Neque aliud evincunt leges allegatæ. Ad I. enim dico, leges hæc, quæ marito adulterum impunè occidere permittunt, nec umbram habere posse justitiæ, nisi dicere velimus, eas hujusmodi occisionem impunè solum tolerasse, adeoque improbando permisisse, seu impunitatem à poena justo furori tribuisse: quamvis neque hac ratione tanquam justæ defendi valeant; tunc enim solum jure naturæ & Divino prohibita improbandò permitti possunt à legislatore humano, si id necessarium omnino fuerit ad evitanda majora mala, quæ tamen legibus his certò non evitantur; nam etsi fortè per illas unum alterúmve adulterium impediatur, Patribus tamen & maritis præsertim Zelotypis anfa datur, plures etiam innocuos occidendi, illos præcipuè, cum quibus illis minùs convenit. Ad hæc æque

quæ & sine omni peccato adulteria impedirentur, si pater aut maritus adulterum cum adultera deprehensam ad Judicem deferat, ut causa cognita illos pro merito puniat, qua ratione etiam animæ illorum consulitur secus, ac in priore casu, quo propria auctoritate illos occidere possent, contingeret. Quare etsi leges hæc occisionem hujusmodi tantum improbando permetterent, nihilominus injustæ, adeoque nullæ forent. Frustra verò es, si dicas, Patrem & Maritum adulteros non propria & privata sed publica auctoritate occidere; eo ferè modo, quo Banniti & transfugæ à quolibet occiduntur; neque enim Respublica à Deo potestatem accepit aliquem inauditum & nullo servato juris ordine occidendi, & quidem in statu peccati mortalis, in quo etiam de salute ipsius æterna actum esset; nisi fortè ab eo gravius malum immineret, nec capi posset; igitur neque hanc potestatem maritis & Patribus dare potest. Cum Bannitis & transfugis latissima est disparitas; neque enim Bannitus occidi licitè potest à quolibet, nisi fuerit in territorio relegantis, pergátque Reipublicæ nocere, aut hoc saltem prudenter timeatur, nec tamen capi possit; aliàs neque hic licitè occideretur, neque Respublica licitè illud permetteret. Vidèatur Card. de Lugo *Disp. 10. de J. sect. 4. per tot.* Idem ferè dicendum de transfugis, nam etsi hi, in ipso transfugio, si ad inclamationem non sistant, licitè à ministris Justitiæ vel vigiliis occidantur, si capi non possint, quia hoc ipso actu damnum Reipublicæ inferunt, & fortè gravius adhuc meditantur, ubi tamen capi possent, vel ab elapsis, atque in alieno territorio existentibus gravius nihil timendum foret, occidi non possent; si enim in alieno territorio existant, sine Domini territorialis consensu nullatenus licitè occiderentur, qui tamen & ipse licitè in eorum occisionem consentire non potest, si capi possint. Unde ex paritate hac potius confirmatur nostra opinio: Quare §. 6. L. 3. ff. ad L. Jul. de sicar. transfugat licet, ubicunque inventi fuerint, quasi hostes occidere. Intelligendus de iis, qui nec capi possunt, & tamen nocere pergunt; quod utique saltem regulariter in adulteris non procedit. Quare jure meritissimo damnata fuit ab Alexandro VIII. hæc propositio, n. 19. non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. Si enim publica auctoritate hoc licitè fieri non potest, multò minùs privata. Ad hæc si Auctor propositionis confixæ alius est, quàm Hispanus & Lusitanus, supposito laboravit, si jure civili marito conjugem hoc casu occidere permissum credidit; jure enim nostro Cæsareo nullibi concessum est marito conjugem in adulterio deprehensam occidere, sed solum adulterum. Multò minùs id illi etiam improbando permissum fuit de Jure Canonico; ex *can. 5.* enim ad summum eruitur, maritum, si uxorem in adulterio deprehensam occiderit, non incurrere impedimentum impediens contrahendi aliud matrimonium, uti etiam ex *can. 8. ibid.* his enim canonibus, ac *can. 7. ead. caus. & q.* in interfectores uxorum impedimentum dirimens matrimonium statutum est. Hinc Pontifex in priore statim subjungit, ut illis matrimonium interdicat; *can. 8.* verò Hastulpho prohibet matrimonium: quare his in Canonibus solum deciditur, occidentes uxores in adulterio deprehensas impedimentum non incurrere, sicut *c. 3. de sent. excommun.* definitur, maritum, qui clerico, cum conjuge sua in adulterio deprehenso, violentas manus injicit, excommunicationem non incurrere. Quin imò *can. 6. ead. caus. & q.* in terminis dicit Nicolaus Pontifex, leges Ecclesiasticas legibus Civilibus occisionem hujusmodi permittentibus non adstringi, nec gladium nisi spirituales habere; adeoque supponit, in foro Ecclesiastico licentiam hanc locum habere non posse, idem sumitur ex *can.*

8. cit. ac S. Augustino qui *lib. 2. de adulterin. conjug.* occisionem hanc vocat nefariam & secundum legem Christi illicitam. Igitur omnino tenendum, sententiam oppositam nec veram nec probabilem esse, abstrahendo etiam à propositione damnata.

218 Ad II. Eadem est responsio, nimirum leges concubinatum permittentes nullas & invalidas esse; nisi forte concubinatus improbando permixtus fuisset ad evitanda graviora peccata, alia ratione non evitabilia; si enim fornicatio jure naturali & divino prohibita est, multò magis concubinatus, qui est fornicatio continuata; sed fornicatio jure naturali & divino prohibita est, & naturali quidem, tum quia, qui fornicatur, in corpus suum peccat, id est, illud indebitè resolvit & inquinat 1. *ad Cor. 6.* & si Christianus sit, tollit membra Christi, & facit illa membra meretricis, cum qua una caro efficitur, quod haud dubiè est contra jus naturæ: tum quia proles, ex fornicatione natæ, educatio plerumque negligitur; quia pater est plerumque incertus; quod etiam in concubinato non evitatur; concubinarius enim concubinam faciliè dimittere & repudiare potest, cum & uxor variis ex causis repudiari potuerit de Jure Civili. Videatur Struvius *Exerci. 30. thes. 39.* hinc meritò confixa fuit ab Innocentio XI. n. 40. hæc propositio: *tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Jure quoque Divino graviter prohibitum esse concubinatum, manifestum fit ex S. Paulo ad Hæbreos c. 13. v. 4. *& seqq.* ubi matrimonium opponit omnibus commixtionibus extra illud susceptis, hasque D. Paulus adulteria & fornicationes appellat, Deumque severum Judicem habituras pronuntiat. 1. *ad Cor. 7.* verò ad evitandam fornicationem mandat matrimonii usum. Quod confirmatur ex Tridentino *sess. 24. c. 8. de refor. matr.* ibi: *grave peccatum est homines solutos concubinam habere, gravissimum verò & in hujus magni sacramenti contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnato statu vivere.* Igitur Tridentinum supponit, concubinatum etiam inter solutos lege aliqua divina, si non naturali saltem positiva prohibitum fuisse.

219 Utrùm verò tempore illo, quo leges civiles concubinatum improbando permittentes constitutæ ac promulgatæ sunt, tanta earum fuerit necessitas, ut graviora illa mala, quæ timebantur, adulteria, incoestus, stupra &c. alia ratione evitari non potuissent, sicque leges hæc justæ dici potuerint, non minùs dubitari posset, ac de justitia legis, qua hodie alicubi lupanaria tolerantur, à viris Doctissimis dubitatur: id certum est, etiam Philosophis gentilibus lumine naturæ perspectum fuisse, commercium carnale cum concubina illicitum omnino esse; hinc natum inter illos proverbium: *uxor nomen honestatis, mulier verò seu concubina nomen libidinis & voluptatis est.* Vel ut Adrianus Imperator illud efferre solitus est, apud Julium Capitolinum *in ejus vita: concubina est nomen voluptatis, uxor nomen dignitatis.* per concubinam enim solus concubitus, non liberorum procreatio & propagatio generis humani quæritur, sicque per concubinatum finis ab Auctore Naturæ conjunctioni huic præfixus invertitur; sapientissimè igitur fecit Imperator Leo Philosophus, quod probrosas has leges in æternum filere jussit *Novell. 91.* non minus sapienter, quàm Christianè egit Gloriosissimæ memoriæ Imperator Carolus V. cum statibus Imperii, quòd *anno 1548. §. 25. von leichtfertiger Bewohnung* propudiosum hoc commercium sub gravissimis poenis prohibuerint: injuriam verò palmarem Romanis Pontificibus impingit Stryckius *in usu moder Pandect. §. 2. de concubin.* dum ait, Leonem imperatorem primum omnium ex legis-

gislatoribus Christianis fuisse, qui exterminandæ infami ad eò legi calamum strinxerit, illumque postea primùm secutam fuisse Ecclesiam Romanam præcipuè in Tridentino Concilio *loc. cit.* festucam nimirum in oculis Ecclesiæ Romanæ vidisse se putabat Auctor hic heterodoxus, & licet malo huic fictitio medelam jam quæsitam esse à Tridentino sciret, festucam tamen hanc à Leone Imperatore Romanis Pontificibus exemptam esse clamat: sed trabem in utroque oculo habuerit, oportet, si suam Ecclesiam hac in re cœcam esse non viderit; vel certè crasso glaucomate laboravit, si in Concilio Toletano I. ex quo sumptus est *can. 4. dist. 4.* solum concubinatum permissum fuisse credidit; quod sine dubio in momento disparuisset, si vel semel *can. 1. dist. 33.* inspexisset; ex eo enim haud dubiè didicisset, concubinam ex Jure Canonico non solum mulierem, libidinis aut concubitûs causâ domi retentam, sed talem etiam significare, quæ vero, absque solennitatibus tamen contracto, matrimonio viro copulata est; irregularis quippe in hoc canone declaratur, qui post mortem conjugis primæ aliam duxerit, aut concubinam habuerit: irregularis autem non fieret, qui post mortem conjugis primæ, quam Virginem sibi adscivit, nullo matrimonii vinculo ligatam concubinam haberet *can. 7. dist. 34. c. 6. de bigamis non ord.* igitur in canone primo sermo esse debet de concubina honesta, hoc est conjugè minùs solenniter ducta: atque de tali concubina *can. 4. & 5. dist. 34.* cum glossâ V. *concubina* Barbosa ac communi aliorum sermonem esse contendo; de tali enim concubina loquuntur hi canones, de quali agunt, *can. 5. & 6. caus. 32. q. 2.* hi verò indubitato agunt de uxore minùs solenniter ducta, qualis utique est, cum qua convenitur, ut liberorum causâ sibi usque ad mortem fideliter adhæreat: neque etiam talis concubinatus *can. 6. dist. 34.* improbat; postquam enim Augustinus dixerat: *fornicari vobis non licet, sufficientes vobis uxores* paulò post subjungit: *non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis*, seu tales, quæ uxores non sunt, quæ non liberorum sed concubitûs causâ, non ad mortem usque sed ad tempus receptæ sunt: ergo licitum pronuntiavit, habere concubinam liberorum causâ & ad mortem usque receptam, seu uxorem minùs solemniter ductam. In alterò verò & putido illo sensu concubinatum de Jure Canonico semper prohibitum fuisse, manifestum est ex *can. 5. caus. 32. q. 2.* uti & ex *can. 4. & 11. ead. caus. q. 4.* quàm gravibus verò poenis Romani Pontifices concubinatum Clericorum jam septimo & nono sæculo persecuti sint, videri potest *de cohabit. Cler. & mulier.*

Ad III. Id ipsum à fortiori sentiendum de hæresi aut falsis Novatorum sectis; hæ enim cum fidem seu Religionis fundamentum subruere conentur, præsentissimam Reipublicæ pestem inferunt, nec solum à fine Reipublicæ ultimo & felicitate vitæ futuræ avertunt; unus enim Deus, unum baptisma, una est fides, eaque sancta Catholica & Apostolica, *quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit*, ut dicitur in symbolo, quod Athanasio inscribitur: sed pacem etiam & tranquillitatem temporalem civitatis indubitato evertent; siquidem anima Reipublicæ vera Religio est: hæc igitur deficiente corpus hoc morale putredine diffuet, partèsque in diversa scindentur; neque enim vel poenis severissimis in officio continere poterit Princeps illos subditos, qui contemptis etiam poenis æternis animo obstinato in Deum rebelles esse pergunt; si teste Apostolo omnis potestas à Deo est, conculcata Majestate Divina, suprà sponte corrui Regnantum in terris auctoritas. Hominem timere non potuit Enceladus, postquam Jovis timorem exiit: frustra

contribules pacem sperant in civitate eorum, quos in Virgineam Christi sponsam Ecclesiam ac in ipsum Deum perduelles esse norunt: intellectu quippe perversa doctrina excoecato, voluntas quoque in transversum agitur, nec quiescet, donec tota civitas fatuo hoc igne, id est perverso dogmate conflagret; quod si effectum id dare non possit, ad arma, si potens sit, provocat, cædésque cædibus & funera funeribus cumulat, ac si Regnum aut Imperium penitus excindere decrevisset, nisi totum, quantum est, heterodoxis suis principiis assurgat, ut vel sola nostra Germania sanguineis lacrymis abundè testabitur. Ut adeò plùs quàm certum sit, non posse Principem orthodoxum Novatoribus aut alienæ à Romanâ Ecclesia sectæ suis in ditionibus liberum Religionis suæ heteroclitæ exercitium aliter concedere, nisi quòd illud ad evitanda majora mala, certò imminetia, nec aliter evitabilia, improbando permittere possit.

Hoc tamen non obstante, nisi omnia documenta Historica nos fallant, ²²¹ extra omnem controversiam videtur, potuisse omnino Imperatorem, Statúsque Imperii orthodoxos transactioni Passaviensi de anno 1552. subscribere; neque enim in pacificatione aliud egère, quàm ut Statibus acatholicis, Augustanæ confessioni addictis, sectæ suæ exercitiū improbando permetterent, ut ex tenore verborum perspicuum est; ita enim habet: *ut confessionistis propter Religionem suam nulla in Imperio molestia, violentia aut contemptus inferatur à catholicis &c.* in ejus confirmatione verò Augustæ anno 1555. idem ferè repetitur, hac tamen addita clausula: *Archi-Episcopi, Episcopi, Prælati, alique Ecclesiastici à Catholica Religione decedentes beneficiis quoque eorumque fructibus (honore & existimatione salva) simul cedant, capitulis aut quibus id de Jure, seu Ecclesiarum vel collegiorum recepta consuetudine competit, aliam Catholicam personam in eorum locum eligendi & suffiendi data facultate &c.* Quæ haud dubiè permissionem hanc improbativam fuisse indicant. Dirissima autem necessitate hanc etiam permissionem extortam fuisse ab Imperatore & orthodoxis Statibus unanimi calamo testantur Historici, quin ipse Romanorum Rex FERDINANDUS in Instrumento Augustano *art. 1.* apertè fatetur, summa necessitate adactos Catholicos ad pacificationem hanc descendisse, eas enim Status Acatholici cum foederatis exteris, etiam Catholicis, in angustias Religionem orthodoxam redegerant in Germania, ut extremum illi instare exitium à plerisque omnibus crederetur, nisi tristi adeò transactione, quantum liceret, in tempore illi consuleretur.

Quamvis verò mihi persuasissimum semper fuerit, nunquam Religionem Romano-Catholicam eò necessitatis & miseræ redigendam fuisse, ²²² ut inimicam adeò sectam in Imperium admittere, ac improbando licèt, civitate donare, sicque Idolum Dagonis cum Arca Dei conjungere, vel invita cogeretur, si Status & Principes orthodoxi omnes eo Zelo, & sedulitate Gregi suo fideli invigilassent, quo id factum novimus, ac hodie dum fieri gloriamur in Bavaria nostra, si, inquam, & Reliqui Principes ad exemplum ALBERTI Ducis, Gloriosissimæ memoriæ, qui turbulentis illis temporibus utrique Bavaræ imperitabat, Zelo veræ fidei ac Religionis ardore non Magnus tantum sed Maximus, tam sollicitè ab ovili suo lupos avertissent, nullis intestinis fracti bellis, fortius haud dubiè veræ fidei & Religionis hostibus obviare potuissent; sed plerisque provinciis illecebrosæ hujus sectæ veneno jamjam corruptis, civibusque novatorum stimulis in rebellionem prurientibus, vix aliud habuere, quo malo huic toto impetu irruenti remedium pararent, quàm ut conventionibus, utut arduis, rem componerent. Optasset equidem Eminentissimus Cardinalis OTTO TRUCHSESIUS pro ardentissimo suo in veram Religionē studio, ut Status

ac

ac Principes Imperii omnes sanguinem potius ac vitam pro Religione profunderent, quam funestis hisce pactis cum acatholicis convenirent; hoc ipsum tamen in hoc rerum articulo Religiosissimi quique tam periculofum, quam laudabile censuere, prout etiam in unitis foederati Belgii Provinciis tristissimus docuit eventus.

Utrum verò idem dicendum sit de pace Westphalica anno 1698. con- 223
clusa, in qua non modò pax Religiosa plenissimè rata habetur, sanctèque & inviolabiliter in perpetuum servanda promittitur, sed etiam protestantibus jus civitatis in Imperio conceditur, sicque pax Religiosa à confessionistis ad protestantes seu à Lutheranis ad Calvinistas extensa fuit: an etiam huic subscribere potuerint Imperator & Status orthodoxi? major aliquibus videtur esse difficultas, quia ut Jcti Dilingenses in *Compos. pac. Relig. cap. 5. q. 26. n. 31.* loquuntur: quamvis spectatis circumstantiis contingere possit, ut Princeps jurato etiam pacto licitè & validè se obliget, quod novatores heterodoxos ad certum tempus suis in ditionibus impunitè tolerare velit, si id ad evitanda majora mala necessarium fuerit, tamen, ut in perpetuum tolerantur, moraliter loquendo vix unquam licitè promitti potest, eò quòd Reipublicæ gravius malum imminere nequeat, quam error in fide in perpetuum, etiam improbando, admiffus. Sed pace virorum doctissimorum dixerò, principium hoc nec univèrsale, nec practicum est: non univèrsale, cum utique gravius Reipublicæ malum sit, si tota civitas falso aliquo dogmate infecta corrumpatur, sicque ferè omnis spes eam ad Ecclesiam reducendi adimatur, quam ut pars aliqua Reipublicæ hæresi corrupta medios etiam inter orthodoxos improbando tolleretur, modò his sufficienter à lupis cautum sit: poterit igitur Princeps orthodoxus saltè in parte Regni aut Imperii sectam à verà Religione alienam ad evitanda majora mala improbando permittere aut tolerare, & quidem in perpetuum, in quantum natura legis exigit, aut indoles contractus admittit perpetuitatem: practicum non est hoc principium; quid enim si casu, quo præsentissimum est periculum, ne tota Respublica infami aliquo dogmate inficiatur, nisi parti civium liberum Religionis exercitium improbando permittatur, princeps, bono Reipublicæ motus, illud ad viginti vel triginta annos tolerare decernat, lapso autem hoc tempore idem periculum instet? quid tunc agendum? renovandam ac iterandam esse hanc legem aut pactum, inquires, idque toties, quoties Reipublicæ salus exigit? cur igitur non potuit initio statim suo modò in perpetuum permitti? aut quid si novatores subditi in pactum iteratum cum Principe descendere renuant?

Quare nullus ambigo, posse orthodoxum Principem non modò li- 224
cité sed etiam validè & quidem suo modo in perpetuum sectariis impunitatem pacto promittere, vel sectam eorum lege publica, improbando, permittere, modò hoc ad evitanda majora mala fiat præsertim ad evitandum periculum certum, ne tota gens hæresi infecta pereat. Dixi & quidem suo modo in perpetuum; quia vel periculum hoc gravioris mali perpetuo duraturum est? & pactum hoc perpetuo honestum, lex verò in perpetuum justa & utilis Reipublicæ erit, & consequenter eam perpetuam esse omnino conveniens est. Vel contra periculum hoc successu temporis evanescit, malumque illud gravius alia ratione evitari potest? & pactum hoc principem obligare desinet, tum quia pacta omnia imbibitam habent conditionem *rebus sic stantibus c. 25. de jurejur. L. 11. §. 8. ff. de interrog. in jure faciend.* tum & vel maximè, quia si improbativa permissio hæresis amplius necessaria non fuerit ad impedienda mala majora, objectum hujus
I i a pa-

pacti, quod prius ex hac ipsa causa, quod conducatur ad mala majora impedienda, honestum erat, illa cessante fiet inhonestum, & consequenter pactum de re ex circumstantiis honesta & licita, transibit in pactum de re inhonesta & turpi; pactum autem de re turpi & inhonesta etiam jurjurando firmatum non obligat, ut pluribus probavi in *tr. de pact. cap. 4. sect. 3. §. 2. per tot.* neque enim obligatorium esse potest, contra bonos mores præstitum juramentum *c. 58. de R. J. in 6.* simili modo si cum tempore periculum illud gravioris mali evanescat, aut alia ratione evitari possit, etiam lex, falsam sectam improbando permittens, desinet esse justa & utilis, adeoque necessario cessabit; finis enim hujus legis solus & unus esse potest evitatio majoris mali alia ratione non evitabilis: ergo hoc cessante cessat lex; si enim ulterius duraret, non utilis sed summè noxia foret Reipublicæ. Sive igitur pax Religiosa & Monasteriensis leges Imperii fundamentales sive transactiones & pacta publica dicantur, potuerunt in illis Imperator & Status Imperii orthodoxi licite & valide insurgentibus sectariis sectæ suæ hererodoxæ exercitium, & quidem in perpetuum improbando permittere, si id ad avertenda graviora præsertim Religionis mala necessarium fuerit. An verò urgens adeò fuerit necessitas, nec malum illud gravius quod timebatur aliter averti potuisset, funesto illo tempore, quo luctuosæ hæ pacificationes conclusæ fuere, ex historicis fide dignis petendum, atque eorum sententia omnino affirmandum videtur.

225 Non ignoro equidem Illustrissimum Episcopum Neritonensem FABIIUM CHISIUM sedis Apostolicæ Legatum anno 1648. 26. Octobris in ipsa Civitate Monasteriensi solennibus gravibusque verbis contra pacem hanc Westphalicam protestatum fuisse. Scio Sanctissimum Dominum nostrum INNOCENTIUM X. in Constitutione *Zelo Domus Dei edit. eod. anno 26. Novemb.* omnia & singula in hac pace contenta damnasse ac irrita declarasse ibi *eum omnibus inde secutis, & quandocunque sequendis, ipso jure nulla, irrita invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata viribusque & effectu vacua omnino fuisse, & perpetua fore, neminemque ad illorum aut cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus vel actionem, aut titulum coloratum vel causam præscribendi, etiamsi longissimi & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem vel interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusve ullo tempore acquiri vel competere posse, neque ulla ullum statutum facere vel fecisse, ac perinde ac si nequaquam emanassent, pro non existentibus & non factis perpetuò haberi debere, tenore earundem præsentium decernimus & declaramus.* Verum etsi non levis sit difficultas, ut valor hujus pacis cum Constitutione hac irritante concordetur, commoda tamen solutio & conciliatio nequitam desperata est. Brahelius *Lib. 8. Hist. pag. 156.* ait, pacificationem hanc ideò præcipuè à Pontifice damnatam fuisse, quòd in ea multæ Ecclesiæ, earumque bona perpetuò concedantur A catholicis, quòdque institutus sit Electoratus octavus in favorem Caroli Ludovici Comitis Palatini heterodoxi, cujus institutio, quemadmodum & dispositio bonorum Ecclesiæ sine consensu summi Pontificis fieri nec possit, nec debeat: quòd vel ex eo probabile videri posset; quia nec summus Pontifex nec ejus Legatus Cardinalis MORONUS, qui in Comitibus Augustanis adfuit, Paci Religiosæ, quantum scitur, quidquam opposuere: adeoque illa duntaxat hic reprobata videntur, quæ paci Religiosæ in pacificatione hac accessere, inter quæ haud dubiè erant, duo illa à Brahelio memorata. Sed cum hæc opinio supponat, aliqua duntaxat in pace Westphalica à Pontifice fuisse reprobata, tenor verò verborum omnia irritata & annullata ostendat, ex

eo autem, quòd Ecclesia paci Religiosæ nihil opposuerit, non sequatur, illam licitam & validam fuisse; *multa enim per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, non debeant tolerari c. 18. de præbend. supra cit.* opinio hæc sustineri vix poterit.

Aliter igitur hic Nodus solvendus, non verò ad aliorum exemplum ²²⁶ scindendus est, ut & Pontificiæ constitutioni summa Auctoritas, & suus pacificationibus constet valor. Neque unus tantum ad hoc suppetere videtur modus. Nam I. Dicitur posse, idèd Pontificem pacificationem hanc penitus reprobasse, quòd iudicavit, non adfuisse tantam necessitatem, nec eum rerum statum, ut pacto etiam jurato Religionis libertas sectariis permitti potuerit, vel etiamsi necessitas sufficiens fuerit, permissionem tamen hanc sine consensu & Auctoritate Pontificis fieri non potuisse; ut enim ex Jctis Dilingensibus in *Comp. pac. cap. 5. q. 28.* discurrere licet, hæc pacificatio versabatur saltem indirectè circa materiam spiritualem, videlicet circa permissionem Religionis falsæ, quin & agebatur in illa de alienatione rerum Ecclesiasticarum: igitur facta sine Pontificis consensu invalida est: in quacunque autem ex his duabus opinionibus fuerit summus Pontifex, justissima fuit Ejus constitutio: illa tamen non obstante, si reipsa adfuisset necessitas & causa sufficiens, quod altioris videtur esse indaginis, non tantum licitè sed etiam validè in pacem hanc descendissent Status & Principes orthodoxi, etiam non requisito Pontificis consensu; nam etsi hic in causis spiritualibus & Ecclesiasticis per se necessarius sit, id tamen necessariò intelligi debet, si pars Catholica recurrere ad Pontificem possit, atque hic recursus cum fructu fieri queat; quod tamen præsentij in causa, in qua vel nomen Pontificis heterodoxis summe exosum erat, nullatenus sperari licuisset. II. Dicitur fors non abs re posse, per Constitutionem illam INNOCENTII pacificationem hanc solum reprobatam fuisse, quatenus per illam heterodoxis libertas Religionis permittitur, bona etiam Ecclesiastica, per injuriam Catholicis erepta, attribuuntur, & quidem utrumque in perpetuum, totaque pacificatio semper inviolabiliter servanda promittitur, sive deinde pactum hoc honestum, lexque utilis permaneat, sive non: ut colligi videtur ex eo, quòd Pontifex in Constitutione sua notanter exprimat, *Ly perpetuum*, denegatque acatholicis titulum vel causam præscribendi etiam immemoriali tempore: neque enim vel probabiliter præsumi potest, voluisse Pontificem, ut Principes Catholici etiam urgente priore necessitate cum evidenti periculo gravioris mali pacificationem hanc infringerent; nam si necessitas illa certa aut evidens fuit, aliud sperari non potuisset, quam ut posteriora deteriora fierent prioribus: hoc autem, si verum esset, constitutio hæc Pontificia firmissima omninò staret cum Pacificatione Westphalica; illa enim hanc solum improbaret pro iis circumstantiis, in quibus ad mala majora evitanda necessaria amplius non foret; hæc verò ex natura & indole sua durare ulterius non posset. III. Denique modus expeditissimus videtur, si dicamus, Constitutionem hanc legis Divinæ æmulam & Vicariam aliud non intendisse, quam quod Deus per legem naturalem & Divinam simili in casu facit. Hic autem non legem modò, sed & pactum permissivum actionis inhonestæ improbat, ac irritat, nisi ad evitanda majora mala omnino necessarium fuerit, & licet illud, posita hac conditione, permittenti non modò permittat, sed etiam suadeat vel præcipiat, eò quòd objectum respectu ipsius ex circumstantiis honestum, reipublicæ verò utile & necessarium fiat, ipsi tamen promissario permissionem hanc actionis inhonestæ per injuriam, vim, & violentiam extorquenti acceptionem necessariò prohibet, quin

etiam cum objectum respectu ipsius perpetuam contineat turpitudinem; penitus irritat, ut adeo ipsi promissario per acceptationem hanc irritatam jus nullum acquiri possit, sed soli Reipublicæ, quæ promissionem hujus permissionis sibi adeo necessariæ validè ac licitè acceptat; si igitur dicamus, INNOCENTIUM suam in constitutione aliud non voluisse, quàm declarare, sectariis per pacificationem hanc jus nullum quæri potuisse, præsertim contra Ecclesiam Romanam, quæ inter paciscentes non fuit, quod solum indicare videtur, si verba ejus attentius ponderentur, sicque respectu ipsorum sectariorum nullam esse hanc legem vel transactionem, inconcussa stabit hæc Constitutio; contra verò si reipublicæ permissionem illam sibi necessariam approbanti & acceptanti per pacem hanc jus quæri potuit, & quæsitum est, etiam pacificatio hæc ex parte Principum orthodoxorum licita & valida erit, tamdiu valitura, quamdiu permissio mali hujus ad evitanda majora mala necessaria fuerit. Verùm hæc uti & præcedentia ac secutura omnia Judicio summæ sedis plenissimè submitto.



SECTIO TERTIA.

De objecto Justitiæ.

Descripsimus sectione prima §. 2do. Jurisprudentiam in ordine ad Justitiam actionum moralium, hinc sectione secunda pluribus explicandum fuit, quid & quotuplex sit Justitia? quænam & qualis sit, quam Jurisprudentia tanquam objectum & finem immediatum respicit? ne obscurum per obscurum, aut ignotum per æquè ignotum declarasse videamur: cum autem hæc ipsa difficultas redire videatur de Justitia, quam definivimus, quòd sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, ne dissertatio hæc manca sit, utque ea, quæ diximus, dilucidius pateant, paucis adhuc natura & varietas juris explicanda erit, ut & objectum Justitiæ, & consequenter etiam Jurisprudentiæ planius evadat. Unum unicum tamen sectio hæc habebit §.vum, ne dissertatio hæc nostra in infinitum excurrat,

§. Unicus.

De Natura & Varietate Juris, prout est objectum Justitiæ.

SUMMARI A,

227. Jus diversimodè accipitur, pro lege, Jurisprudentia, pro justo & a quo, loco judicii, ac denique pro qualitate morali persona, qua rectè res nostras tenemus, vel alios obstrictos habemus ad aliquid faciendum vel omittendum. 228. atque

in hac ultima acceptione jus derivatur à jussu imperantis. 229. Estque objectum formale sub quo ipsius justitiæ. 230. Ad benè definitur, quòd sit qualitas moralis activa ex concessione legis persona competens, quæ res suas justè tenet, aut alios.

alios obstrictos habet, ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. 221. Juri necessario correspondet obligatio alterius, qua prout huic inhaeret, definitur, quod sit qualitas moralis passiva persona à lege injecta, qua constringitur ad aliquid patiendum, dandum vel faciendum in gratiam alterius. 232. Dividitur jus in universale & particulare. Universale est qualitas moralis activa à lege Reipublicæ concessa mediante pacto cum subditis inito, qua illos obstrictos tenet, ut per actiones suas bonum publicum promoveant, quoniam & bono proprio praponant. Particulare minus rigorosum est qualitas moralis privatis à lege concessa ob majorem illorum dignitatem aut aptitudinem, qua rempublicam, aut alios obstrictos habent, ut in distribuendis muneribus præmiis &c. minus aptis præferantur; quamvis hoc ipsum efficaciter exigere nequeant; particulare rigorosum est qualitas moralis à lege privatis, mediante pacto, concessa, vi cujus secum paciscentes efficaciter obligatos habent ad pactum in commodum obligantis implendum. 233. &c. Jus universale idem est cum jure jurisdictionis; esse ve-

rò hoc jus in creatis non parùm differat à jure proprietatis etiam Reipublicæ; in Deo tamen jus proprietatis & jurisdictionis nulla ratione diversa sunt. 235. Quod verò mediante dignitate jus minus rigorosum, mediante pacto jus rigorosum à lege concedatur, non tam in arbitrium legislatoris, quàm bonum publicum refundendum est: per pactum autem vel quasi pactum intelligitur omnis titulus ad alterum jure rigoroso obligandum habilis. 236. Dividitur jus rigorosum ulterius in reale & personale, rejecta communi opinione P. Molina. Jus in re definitur, quod sit qualitas moralis mediante pacto, apprehensione completo, à lege concessa, qua proxime tendimus ad subjiciendam nobis rem vel personam instar rei consideratam in ordine ad actiones nobis circa illam competentes. 238. Jus verò personale est qualitas moralis activa mediante pacto à lege concessa, qua proxime tendimus ad subjiciendam nobis personam in ordine ad actionem, ad quam illa nobis est obstricta. 249. &c. pluribus agitur questio illa, an detur jus mixtum ex reali & personali & deciditur problematicè,

Supra n. 68. diximus, ex veriore derivatione jus à jubendo seu jussu, 227. à jure justum, & justitiam, à justitia jus sumptum pro lege, à jure pro lege sumpto, jurisprudentiam derivari. Ut autem sciamus, in quo sensu ius à jussu derivetur, diversæ juris acceptiones benè distinguendæ erunt. De plerisque agitur *L. 11. & L. fin. ff. de J. & J. & 1.* quidem accipitur jus pro lege *can. 2. dist. 1.* in hac etiam significatione sumitur, dum aliquid dicitur esse liquidum vel exploratum, aut dubii juris, quando aliquis dicitur laborare ignorantia juris, quando Professores dicuntur tradere, Auditores excipere interpretationem Juris. 2. Sumitur jus pro Jurisprudentia aut Legum ac Canonum notitia; sicut enim nomen medicinae à medicamento ad scientiam & artem medicam, quæ medicamenta applicare docet, translatum est, ita vocabulum juris sumpti pro lege Jurisprudentiæ applicatum fuit. In hoc sensu juris nomen usurpavit Ulpianus *L. 1. pr. ff. de just. & Jur.* dum dixit: *Juri hoc est legibus ac legum scientiæ operam daturum prius nosse oportet, unde juris nomen descendat, & subjungit: est autem à Justitia appellatum.* nimirum Jus pro lege aut legum notitia acceptum, ut nostra in derivatione diximus. 3. Jus significat idem, quod justum, rationis naturalis dictamini, divinæque & humanæ legi consentaneum & æquum est. Teste Paulo *Jcto L. 11. pr. cit. & in hoc sensu S. Augustinus Lib. 9. de civit. Dei c. 21.* ait: *quod jure fit, justè fieri.* 4. Aliquando accipitur pro loco, quo jus redditur, suumque per sententiam litigantibus adjudicatur *L. 11. cit. L. 4. §. 1. ff. de interrog. in Jur. faciend. & in hoc sensu dicimur in jus ambulare, in Jure sisti, & Cicero orat. pro Muræna.* ait. *ego te in Jure conspicio.* 5. Ex Communi aliorum jus non rarò sumitur pro ipsa Judicis sententia, per quam litigantibus jus dicitur, quia ut Paulus *L. 11. cit.* loquitur, *Prætor jus reddere dicitur etiam cum iniquè de-*

cernit, relatione scilicet facta non ad id, quod ita prætor fecit, sed ad illud, quod prætorem facere convenit. Sed ut consideranti patebit, Jctus hic loquitur de objecto sententiæ, quam ferre prætorem convenit, non verò de ipsa sententia. 6. Denique & frequentissimè jus accipitur pro qualitate morali personæ, qua rectè vel res nostras tenemus, vel alios obstrictos habemus ad aliquid nobis dandum faciendum vel omittendum. Et ita accipitur jus, quando homines dicuntur esse sui vel alieni Juris *Inst. de his qui sui vel alien.* item quando quis dicitur habere jus agnationis vel cognationis ad hæreditates vel tutelas, quod *jus necessitudinis* appellatur *L. fin. ff. de J. & J.* quando hæres dicitur succedere in omne jus defuncti *L. 59. & L. 62. ff. de R. J.* eodem sensu dicitur nemo plus juris in alterum transferre posse, quam ipse habeat *L. 54. & c. 79. eod.* qui jure suo utitur, nec dolum nec injuriam facere *L. 55. ff. de R. J.* sic pariter dicitur Judex de partium jure cognoscere, decernere, illisque jus dicere *L. 11. cit.*

228 Jam verò certum videtur, jus, quod à jussu derivari dicimus, non esse jus sumptum pro lege aut legum scientia, siquidem lex nihil est aliud, quam jussus imperantis: igitur jus pro lege sumptum, non potest à jussu derivari, aliàs à se ipso derivaretur. Quamvis verò jus pro justo & æquo acceptum ideò tale sit & dicatur, quia legi seu jussui imperantis conforme est, immediatè tamen non à jussu sed à jure nomenclationem capit; ideò enim quod justum & æquum, legi conforme est, quia juri alterius ex lege descendenti congruit; qui enim facit, quod justum & æquum est, jus alteri tribuit, sicque juri activo illius actionem suam conformat, justum namque est, quod jure fit, hinc justum seu actionem Justitiæ informatam immediatè à Jure appellari dicimus. Denique nulla ratione jus sumptum pro loco judicii nomen hoc suum à jussu accipit, sed potius à Jure, quod tali in loco litigantibus ex lege tribuendum est. Undè sua sponte consequitur, jus acceptum pro qualitate morali, qua rectè res nostras tenemus, vel alios obstrictos habemus, ad aliquid faciendum vel omittendum, à jussu imperantis seu lege derivari: nec immeritò; siquidem jus ita acceptum provenit à lege seu jussu imperantis, conferente alicui potestatem alios obligandi, de quo, si sermo sit de jure creaturæ rationalis, controversi vix potest; jus enim creaturæ separabile est à creatura, eique accidentale: igitur provenire debet ab aliqua forma extrinseca; extra legem autem nulla alia est assignabilis: ergo. His præmissis, sit,

229 Assertio I. Jus sumptum pro qualitate morali, qua alios nobis obligatos habemus ad aliquid faciendum vel omittendum rectè dicitur esse objectum formale sub quo Justitiæ. Conclusio hæc patet ex dictis supra de justitia & probatur. Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, seu ponendi aut omittendi actionem, ad quam alter jus habet: igitur positio vel omissio actionis est objectum materiale illius; ipsum verò jus activum alterius ac inde resultans in operante jus passivum est objectum formale sub quo Justitiæ; jus enim hoc est illa ipsa ratio, sub qua justitia circa positionem vel omissionem actionis illius versatur. Denique honestas, quæ inde relucet, quòd actio hæc ponatur vel omittatur ex motivo juris, quòd alter habet, est objectum formale quod justitiæ, & quidem formaliter talis, si honestas illa ametur, secùs autem solùm materialiter talis. Et confirmatur, si jus sumatur in alia significatione, quam pro qualitate illa morali, nullatenus dici potest objectum justitiæ: ergo in ista solùm acceptione dici potest ejus objectum. Antecedens videtur innegabile; si enim jus sumatur pro lege aut jurisprudentia, justitiæ objectum esse non potest, sed potius juris ita sumpti

pti objectum est justitia, quia ut dictum, finis proximus & objectum attributionis legum ac Jurisprudentiæ sunt actiones justæ, ac justitia informata: neque etiam jus pro justo & æquo sumptum à justitia tanquam objectum respicitur; implicat enim, ut forma concreti pro objecto concretum sicque se ipsum intendat: jus denique, prout locum Judicii significat, metaphoricè tantum jus dicitur, quatenus juri dicundo ac administrandæ justitiæ destinatus est. Justitia certè nec locum Judicii nec legem aut Jurisprudentiam, nec actionem Justam alteri tribuit, sed per actionem justam cuilibet, jus suum tribuere intendit.

Assertio II. Jus hoc, quod tanquam objectum respicitur à Justitia 230 in genere rectè definitur, quòd sit qualitas moralis activa ex concessione legis personæ competens, qua res suas justè tenet, aut alios obstrictos habet ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum, vel etiam ut suprà n. 141. dixi, est præferibilitas moralis ex lege descendens, qua quis quo ad dispositionem rei jam detentæ, aut traditionem promissæ, positionem, aut omissionem actionis aliis præferendus est. Fallitur enim Haunoldus, dum tract. 2. c. 1. n. 34. contra Cardinalem de Lugo dicit præferibilitatem, utpote residentem in intellectu aliorum, potius esse effectum juris; siquidem præferibilitas ex lege descendens non minùs ac cognoscibilitas omnem actum intellectûs præcedit, nisi fortè ad intellectum legislatoris confugiat; à quo tamen haud dubiè jus omne omnisque obligatio dependet; neque enim facultas naturæ rationalis obtinendi actionem aut omissionem illius (ita enim Haunoldus jus proprietatis definit) quidquam valeret, nisi lege probaretur. Dicitur autem in priore definitione I. *qualitas moralis activa*: refertur quippe jus ad qualitates activas eo respectu, quòd propter illud de rebus nostris disponere, nobis debitas exigere aut remittere possimus. Quamvis etiam inter qualitates morales passivas recenseri possit, quatenus per id aliquis rectè quid accipere potest; sunt enim qualitates passivæ, per quas aliquis rectè quid habere pati admittere vel recipere potest. Earum tres videntur esse species. Una secundum quam rectè quid admittimus, ita tamen ut nulla nobis sit potestas illud exigendi, nec alteri obligatio incumbat illud tribuendi, talis habilitas est accipiendi donum merè gratuitum. Altera, secundum quam idonei sumus accipiendi aliquid ab altero, non quidem ut ab invito efficaciter exigi possit, sed ita tamen, ut alter idem ex virtute aliqua morali præstare teneatur. ut contingit in Justitia distributiva. Tertia secundum quam ab altero efficaciter aliquid exigere possumus, illéque ad idem tribuendum rigorosè obligatur, uti fit in Justitia universali & commutativa. Dicitur II. *Ex concessione legis personæ competens*, tota siquidem vis & efficacia juris à lege provenit, atque ab ea jus totum quantum est, dependet; si enim à lege & quidem unicè est quòd alter mihi obligatus ac juris vinculo obstrictus sit, soli quoque legi debeo, quòd illum mihi devinctum teneam; correlativorum enim, qualia sunt jus & obligatio, eadem est natura, nec unum sine altero consistere valet, sed posito uno, ponitur alterum, sublato uno, tollitur alterum arg. L. 81. §. 1. ff. de hered. instit. L. 30. §. 1. L. 31. §. 1. ff. de administ. & trans. legat. L. 29. §. 1. ff. de minor. L. 5. ff. de rescind. vend. L. fin. ff. de acceptil. atqui obligatio, qualiscunque illa fuerit, privativè à lege & voluntate superioris habetur, par enim in parem potestatem non habet, nec obligationis vinculum illi injicere potest. Tolle superiorem ac legem ejus, aut finge si lubet cum affectatis Atheis Deum non existere, & omni lege ac superiore sublato obligationem omnem sustulisti: omnis quippe obligationis sola & unica causa lex est. Et si

*

L I

enim

enim administrator in distribuendis præmiis ac muniis publicis majorem civium dignitatem ac aptitudinem respicere teneatur, hæc tamen ejus obligatio non ex majore illa dignitate, sed ex lege oritur, & licet promissor stipulanti obligetur, ejus tamen obligatio non ex contractu vel pacto, sed unice à lege provenit, quamvis nec illum hoc vinculo constringat lex, nisi major in cive dignitas aut aptitudo adfuerit, neque hunc obligare intendat, nisi pactum illudque validum intercesserit. Hinc patet, quare supra dixerim, legem semper obligare etiam sine pacto, pactum nunquam sine lege, quamvis lex sæpius obliget mediante pacto; cum enim omne pactum sit inter pares, obligatio, quæ superiorem exigit, ex illo descendere non potest. Quando autem obligat lex mediante pacto, pactum erit occasio obligationis vel etiam conditio sine qua non, sicut remotio valvarum est occasio illuminationis in hypocausto vel conditio sine qua non. Quòd si tamen malis loco phraseos *quod lex quandoque obliget mediante pacto* usurpare aliam, *quòd pactum obliget vigore legis*, nil repugnabo, quia inter has duas phases nullam differentiam interesse opinor. Dicitur III. *Qua res suas justè tenet, aut alios obstrictos habet ad aliquid dandum faciendum vel omittendum.* Definitio enim juris in genere jus omne complecti debet, sive rigorosum sive minùs rigorosum fuerit, sive rigorosum fuerit reale sive personale, sive persona, quæ jus habere dicitur ad res aliquas, illas jam justè detentas possideat, sive ab aliis possessas vindicare aut alia actione reali vel personali petere, quin & positionem vel omissionem actionis ab altero exigere possit. Quòd totum his terminis effectum credimus, quibus Justitiæ in genere objectum expressimus.

231

Juri, quod qualitatem moralem activam dicimus, necessario in alio correspondere debet obligatio, ut ex nuper dictis liquet; Si enim ex effato Jcti inanis est actio, quam innopia debitoris excludit, non inane tantum, sed nullum jus erit, cui in altero nulla obligatio respondet. Obligatio autem considerata, prout inhæret ei, qui obligari dicitur, definiri potest, quod sit qualitas moralis passiva, personæ à lege injecta, qua constringitur ad aliquid patiendum dandum vel faciendum in gratiam alterius. Vel si cum Imperatore *J. pr. de oblig.* loqui velimus, definiri posset, obligatio, quòd sit juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ Civitatis jura. Quòd si tamen hæc Imperatoris definitio soli obligationi Civili vel mixtæ conveniat, non verò naturali, ut teste Harpræth *J. de oblig. n. 20.* tenet communis contra Erasmum Ungepaar, etsi optima omnino esset, minùs tamen pro nobis quadra- ret, utpote qui definitionem obligationis in genere inquiremus, adeoque etiam obligationem naturalem comprehendere debemus. Utrùm verò definitio hæc soli obligationi mixtæ & civili conveniat, nobis pro hîc & nunc pluribus discutere non vacat; vel ideò etiam, quòd prior illa definitio abundè sufficiat, utpote quæ definitioni juris magis congruit, ac eandem cum proportionem declarationem habet. Quòd si obligationem hanc juri respondentem jus passivum vocare placeat, me non invito facies, modò id caveas, ne jus passivum immediatum dicas id, quod alteri debetur, seu actionem vel omissionem actionis alteri debitam; nam jus activum & passivum idem objectum habere debet: igitur si jus activum actionem sibi debitam tanquam objectum respicit, idem faciat jus passivum, necesse est: ex parte autem obligati nihil invenimus, quod actionem alteri debitam respiciat, nisi qualitatem moralem passivam, quam obligationem dicimus: adeoque hæc erit jus passivum immediatum, pos-
tio

tio verò vel omiffio actionis debitæ faltem mediatum; remotius autem & ultimatunt res, quæ positioni aut omiffioni talis actionis subjacet.

Assertio III. Jus activum in genere dividitur *jmo* in Jus universale & 232 particulare, particulare verò in rigorosum & minùs rigorosum. Jus universale est qualitas moralis activa à lege Reipublicæ concessa, mediante pacto cum subditis in receptione inito, qua Respublica subditos obstrictos tenet; ut per actiones suas bonum publicum promoveant, quin & bono proprio præponant. Jus particulare verò est qualitas mortalitatis activa privatis ex lege competens mediante titulo particulari, quo alios sibi devinctos habent ad aliquid dandum faciendum vel omittendum. Quia verò particularis hic titulus duplex est, nimirum pactum tacitum vel expressum voluntarium vel etiam involuntarium, ac præterea dignitas vel aptitudo ad munus, officium &c. hinc jus particulare duplex est, unum rigorosum, alterum minùs rigorosum, posterius hoc describi potest, quòd sit qualitas moralis activa à lege privatis concessa ob majorem illorum dignitatem aut capacitatem, qua rempublicam, administratores aut alios obligatos habent ad aliquid v. g. præmium munus &c. sibi tribuendum, præcipuè ob bonum publicum, quin tamen hoc ipsum efficaciter exigere, aut ob illud denegatum ad restitutionem agere valeant. Contra verò jus particulare rigorosum est qualitas moralis activa à lege privatis concessa ob pactum vel quasi pactum cum aliis initum, qua secum paciscentes devinctos habent, ad pactum in commodum privatum ipsius obligantis implendum, & quidem ita, ut illud efficaciter exigere vel etiam ad restitutionem ablati agere possint. Atque hoc posterius communiter jus proprietatis appellatur, eò quòd debitum etiam ob invito justè extorqueri, ac ablatum aut denegatum repeti possit; propriè enim nostrum videtur, quod per Judicem consequi possumus; sive deinde hoc fiat intentata actione, sive implorato judicis officio *L. 15. ff. de R. J.* quod ipsum etiam in causa est, cur hoc posterius jus rigorosum strictè tale & efficax dicatur, prius verò jus minùs rigorosum audiat; siquidem illud, quod neque ab invito efficaciter exigere, nec denegati restitutionem petere possumus, nulla ratione proprium aut nostrum dici potest? videantur dicta *sect. 2. §. 1. de divis Just. in univers. & particul. commut. & distributiv.*

Coeterum Jus universale, quod Reipublicæ competere diximus, sæ- 233 pè etiam vocatur Jus Jurisdictionis, & meritò, cum non aliter ac duo synonyma differant, prout *n. 101.* ostensum fuit. Ex quo etiam patebit, jus universale vel Jurisdictionis perperam à plerisque dici jus minùs rigorosum. Enim verò si privatus quilibet in extremam necessitatem redactus, jure rigoroso non solum à quolibet exigere, sed etiam propria auctoritate auferre potest, quod ad pellendam gravem ad eò necessitatem necessarium est, ut dixi *in tr. de pact. cap. 3. n. 6.* multò magis jure rigoroso exiget à civibus civitas, quæ ipsi ad sui conservationem necessaria sunt, non modò si extrema, sed etiam si gravis necessitas vel probabiliter instet; si enim in assumptione sua cives promiserunt, se utilia Reipublicæ membra futuros esse, necessariò sponfionem fecerunt, se, quantum in ipsis est, gravem etiam & vel probabiliter instantem necessitatem à civitate amoturos esse; actum quippe est de Republica, si tum primùm de remedio cogitur, ubi mala turmatim ingruentia eam ad extrema deduxerunt. Hoc tamen non obstante *ut loc. cit.* indicavimus, latissima est disparitas inter jus proprietatis, quod obtinet Communitas in bona ac jura quædam publica, ac jus jurisdictionis, quod in actiones personas ac bona civium habet; vi prioris enim de bonis illis publicis & licitè & valide pro libitu di-

sponit, haud ſecus ad quilibet privatus de bonis propriis: vi poſterioris verò de actionibus perſonis an bonis civium non habet, quod diſponat, niſi in quantum id neceſſitas, aut manifeſta Reipublicæ utilitas exigit.

234 Ex hoc ipſo & illud, ni fallor, deducitur, in Deo nullam omnino nec formalem aut quo ad effectus differentiam dari inter jus jurisdictionis & proprietatis, tum quia omnes poſſibiles actiones creaturæ rationalis ex jure proprietatis perfectiſſimo Deo debitæ ſunt, idque non ſolum pro his vel illis circumſtantiis ſed ubique & ſemper: fruſtra igitur adhuc alia juris ſpecies, quo eaſdem Deus ab homine exigat, in Deo fingitur: tum quia diviſio juris in Jus proprietatis & jurisdictionis in creatis ortum ſuum habet ex imperfectione ſubjectionis, qua cives Reipublicæ devineuntur; ſi enim civitas eodem jure uti poſſet, in actiones perſonas ac bona civium, quo utitur in bona illa publica ſibi propria nunquam Auctores de diviſione hac cogitaſſent: ergo hæc diviſio juris in Divinis locum habere non poteſt, eò quòd Deus idem omnino illudque infinite perfectum jus habeat, in actiones poſſibiles omnes creaturarum, non tantum alicubi & aliquando, ſed ubique & ſemper. Quòd ſi tamen jus hoc infinite perfectum, quo Deus ſemper & ubique actiones omnes poſſibiles ab homine exigere poteſt, modo jus proprietatis modo autem jus jurisdictionis appellare placeat, quia utrumque hoc jus eminenter ac demptis imperfectionibus continet, me non invito facies.

235 Quòd verò mediante pacto jus fortius; mediante verò dignitate majore jus minus ſtrictum à lege concedatur, in ſapientiſſimum Divini præcipue Legislatoris arbitrium refundendum eſt, qui haud dubie, uti in cæteris, ita etiam in hac lege ad bonum commune reſpexerit; Reipublicæ enim haud paulò magis nocivum foret, ſi, quòd pacto nobis debetur, à promiſſore invito extorqueri non poſſet, aut quòd juſta occupatione vel apprehenſione tenemus, abſque reſtitutionis onere à quolibet eripi valeret, quàm ſi res publica in diſtribuendis muneribus ac præmiis vel in exhibendis humanitatis officiis muneri ſuo deeſſet; ex priore namque aliud ſperandum non foret, quàm jurium ac dominiorum deteſtanda confuſio, non niſi ipſius civitatis excidio finienda. Per pactum autem vel quaſi pactum in definitione juris rigoroſi particularis omnem omnino titulum, ad alterum jure rigoroſo obligandum, habilem intelligo, ſive deinde ſit proditus jure civili, quales ſunt contractus plerique omnes: ſive jure gentium ut occupatio rei communis aut derelictæ §. 13. *J. de R. D.* accessio non ſolum naturalis ſed etiam artificialis, præſcriptio, ſucceſſio ab inteſtato, aut ex teſtamento: ſive jure naturæ, ut ſunt pacta, nulla facta diſtinctione inter nuda & veſtita, legitima & contractui adjecta; ſiquidem etiam in iis titulis, quæ à pactis prorsus extranei videntur, re ipſa pacta continentur. Sic occupatio unanimi gentium, res aliquas communes relinquentium conſenſu probata, præſcriptio ſucceſſio ab inteſtato aut ex teſtamento ubique ferè recepta, accessio denique non à legiſlatoribus tantum Romanis, ſed à moratioribus gentibus omnibus uſu hucusque continuato ſtabilita fuit: hæc autem ſine aliquo pacto ſaltem tacito aut quaſi tali nunquam explicari poterunt. Hæc ipſa tamen gentium pacta nec paciſcentes obligare nec ipſis jus efficax tribuere propria ex virtute poſſunt, ſed vim omnem ac efficaciam à lege naturali vel divina, illis aſſiſtente mutantur.

236 Aſſertio IV. Jus particulare rigoroſum, quòd communiter jus proprietatis dicitur, dividitur ulterius in jus reale & perſonale, ſeu, in jus in re, & jus ad rem. Quid autem ſit jus hoc in re & ad rem, & in quo ſpe-

Specificè differant, mirum quantum variant Auctores. Satis communis cum P. Molina docet, jus in re esse illud, vi cuius res ipsa proximè nobis est devincta: jus ad rem verò illud, vi cuius persona nobis proximè est devincta; tunc autem, pergunt illi, censetur res nobis proximè devincta, quando onus respondens juri nostro, moraliter inhæret ipsi rei, eamque comitatur ad quemcunque pervenerit. Contra persona tunc censetur nobis proximè devincta, quando onus, respondens juri nostro, inhæret ipsi personæ, ejusque ossibus; sed neque unus neque alter conceptus satisfacit; qui enim metu adactus rem tradidit; non habet nisi jus ad rem, & tamen res ipsa eidem ita est devincta, ut repetere illam à quocunque possessore possit *L. 9. §. ult. ff. quod met. caus.* qui cum servo aut filiofamilias contraxit, non acquirit nisi jus ad rem, & tamen agere potest contra quemcunque peculii possessorem *L. 27. §. 2. ff. de pecul.* cujus ob jus personale interest, rem exhiberi, non habet nisi jus ad rem, & tamen experiri potest contra omnem, qui rei exhibendæ potestatem habet *L. 3. §. fin. ff. ad exhibendum.* ergo jus in re non rectè dicitur illud, vi cuius res ipsa proximè nobis est devincta, similiter patria potestas est species juris in re & tamen actio præjudicialis, quæ inde nascitur, & qua pater experitur contra filium, petitque se declarari parentem legitimum, non datur, nisi contra personam filii: ergo jus in re quandoque operatur actionem, quæ non datur contra quemcunque possessorem.

Quare melius dicitur, quòd jus proprietatis reale sit qualitas morali-²³⁷ lis activa, mediante pacto à jure probato & quidem regulariter vera apprehensione completo, à lege concessa, qua proximè tendimus ad subjiciendam nobis rem aliquam actu existentem vel personam rei instar consideratam in ordine ad certas actiones circa illam competentes. Dicitur I. *Mediante pacto à jure probato.* sine justo enim titulo aut pacto valido non acquiritur jus in re; hinc fur & usurarius ob defectum tituli non habet jus in re circa pecunias furto aut usura acquisitas. Dicitur II. *Et quidem regulariter vera apprehensione completo.* Nimirum occupatione, si res sit communis, vacans, aut derelicta, vel traditione, si in alterius dominio fuerit; quia sicut nunquam nuda traditio transfert dominium *L. 31. ff. de acquir. vel amitt. dom.* ita regulariter *traditionibus & usucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur.* *L. 20. C. de pact.* Dicitur III. *Regulariter vera,* nisi scilicet lex traditionem suppleat. Sic 1. jus pignoris & hypothecæ constituitur nuda conventionione *L. 1. pr. ff. de pig. act. L. 4. ff. de pig. 2.* in beneficiis Ecclesiasticis sufficit collatio & acceptatio *C. 17. de præbend. in 6. 3.* In hæreditate, ubi ad acquirendum dominium sufficit sola aditio *L. 23. ff. de acq. vel. amitt. poss.* aditur autem hæreditas cum acceptatur verbo vel facto *§. fin. J. de hæ. qual.* 4. In legatis à testatore relictis, nam legati dominium à morte legantis statim acquiritur legatario, etiam ignorantibus *L. 77. §. 3. L. 80. ff. de legat. 2.* 5. Sufficit pariter acceptatio in rebus Ecclesiæ aut aliis piis locis venditis aut donatis *L. 23. pr. & §. 1. C. de SS. Ecclesiis.* ex hac ipsa etiam Juris dispositione sæpiùs sufficit traditio ficta. Hin Jctus Cajus *L. 9. §. 2. ff. de acq. rer. dom.* dixit: *interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam.* Denique jus reale vel dominium reflexum, quod quilibet creditor habet in jura personalia sibi competentia *arg. L. 3. si usufr. petatur.* ex ipsa rei natura absque omni traditione obtinetur. Dicitur IV. *Qua proximè tendimus ad subjiciendam nobis rem aliquam aut personam instar rei consideratam in ordine ad actiones competentes.* Quibus verbis non tantum exprimitur jus reale, quod habemus in res nostras, ab aliis sine causa detentas, sed etiam illud, quod habe-

habemus in eas, quas ipsi iusto & sufficienti titulo possidemus; sicut enim rem meam; ab alio sine causa detentam, mihi subicere intendo; quia detentorem vi juris realis ad restitutionem ejus obligo, ita etiam rem à me pleno jure possessam, quo ad dispositiones circa eam competentes, mihi subiectam volo; quia vi juris realis alios obstrictos teneo, ne ab illis me impediant. Præterea per verba hæc differentia juris realis à personali perspicue proditur, quod nimirum jus reale mihi rem vel personam, instar rei consideratam, immediatè & proximè subiciat; non verò mediante actione personæ; quod enim alios obstrictos habeam, ne rem meam sine causa detineant, aut me in usu rerum mearum impediunt, effectus ex jure reali resultans est, quo nec concepto, hæc affirmato, tota ratio juris realis habetur. Dicitur V. *Rem actu existentem, aut personam, instar rei consideratam.* Si enim res nondum existeret, immediatè mihi subicere necdum posset. Hinc ad fructus sequenti anno proventuros ex beneficiis personæ Ecclesiasticæ non habent jus in re, sed ad rem tantum: & nunquid Dominus aut Pater non possunt sibi immediatè subicere servum aut filium non existentem, aut jam mortuum, licet isti si existant, quandoque instar rei considerentur?

238 Contra verò jus personale est qualitas moralis activa mediante pacto à lege concessa, qua proximè tendimus ad subjiendum nobis personam aliquam in ordine ad actionem, ad quam persona illa nobis proximè est devincta. Dicitur I. *Mediante pacto sive deinde voluntario expresso vel tacito, sive etiam involuntario, quo nomine Aristoteli L. 5. Ethic. cap. 2. art. 1. venit injuria proprie dicta, per quam alteri damnum inferatur: cum enim quilibet in rempublicam susceptus tacitè, promittat, se pacificè sine aliorum injuria in Civitate victurum, aut si quemquam civium contra jus fasque læserit, pro posse & exigentia legum satisfacturum esse, non incongruè injuriæ talis pactum involuntarium vocatur, quia etsi voluntarium fuisse videatur in ipsa susceptione, dum tamen actu alterum injustè damnificat, adeoque conditionem implet pacti illius taciti, involuntarium ipsi videtur.* Dicitur II. *Qua proximè tendimus ad subjiendam nobis personam in ordine ad actionem aliquam &c.* Atque his verbis differentia juris personalis à reali exprimitur; per jus enim reale, ut nuper dictum, immediatè & proximè rem nobis subiectam cupimus & consecutivè solum personam, ne scilicet nos contra jus impediatur à consecutione aut usu nostrarum rerum. Per jus verò personale immediatè & proximè tendimus ad subjectionem personæ in ordine ad aliquam actionem nobis, pacto mediante ex lege debitam, etsi fortè, si actio hæc rei debitæ traditio sit, jus reale ad rei traditæ dominium consequamur. Porro persona in definitione hac per modum agentis humano & civili modo; in priore verò per modum patientis ac instar rei inanimatæ accipitur.

239 Bonitas harum definitionum ex applicatione patescet. Sic dum lex nobis tribuit rei dominium, illam nobis proximè & immediatè subicit, ita ordine ad omnem dispositionem, cujus illa res capax est. Sic etiam servitus dicitur jus in re, quia rem, in qua fundatur proximè nobis subicit in ordine ad usum, cujus gratia constituta est. Sic quoque potestas dominica in servum dicitur species juris in re, quia tametsi personam respiciat, non respicit tamen quæ talem, seu quæ humano & civili modo agentem, sed tanquam patientem ac rem quamvis aliam, de qua proximè disponere vi juris nostri possumus. Contra verò qui metu gravi & injusto adactus rem tradidit, tantum habet jus ad rem seu personale, licet ille rei extortæ nomine agere possit contra quemcunque possessorem. Sic jus, vi cuius mihi venditor tradere tenetur equum venditum, est duntaxat jus ad rem; quia

quia vi illius de equo immediate & proxime disponere non possum, ceterum sicut juri proprietatis respondet actio, qua in judicio quis persequatur, quod sibi debetur, sic jus reale actionem realem, personale actionem personalem aut saltem implorationem Judicis illud habenti tribuit; nam alias efficaciter, quod sibi debetur, exigere non posset. Priusquam tamen hanc dissertationem finiamus, una adhuc quaestio, loco huic propria, quae infestis armis & animis à praestantibus etiam Jctis agitur, paucis discutienda est.

CONTROVERSIA V.

An prater jus reale & personale admittendum sit medium. seu Jus mixtum ex reali & personali?

Status Questionis.

Divisionem hanc adaequatam non esse, sed mediam adhuc speciem in-²⁴⁰ veniri, jus videlicet mixtum, docet Haunoldus *tr.* 2. n. 67. & cum illo omnes, quotquot actiones, & judicia mixta admittunt; actio enim fundatur in Jure proprietatis, judicium in actione; nam ut Auctor Laudatus discurret, tale datur jus, qualis datur actio fundata in jure, ut adeo quaestio haec, utrum detur jus mixtum, coincidat cum illa, an prater actionem realem & personalem admittenda sit actio mixta? Et quidem dari in jure actiones & consequenter etiam jura certo respectu mixta negari non potest. Sic enim actio, qua rem & poenam simul persequimur, mixta dicitur §. 16. *Inst. de act.* sic quoque actio, quae datur utrique litiganti, mixta appellatur L. 37. §. 1. ff. de obl. & act. neque à vero multum recederet, qui illas etiam actiones, quas in rem scriptas dicimus, mixtas appellaret; etsi enim origine sua sint merè personales, quia tamen imitantur reales, ac illarum exemplo dantur contra quemcunque possessorem, adeoque naturam actionum personalium purè non retinent, non incongruè illas mixtas vocitare possemus. De eo tamen vehementissimè inter se decertant praestantissimi etiam Jcti, deturne jus mixtum, quod ex reali & personali confluit? & consequenter an etiam admittenda sit actio ex mixto hoc jure descendens?

Afferuntur Rationes, pro opinione affirmativa.

PRO sententia affirmante signa sua explicant Bachovius *de act. disp.* 2. ²⁴¹ *thes.* 7. Franczk *exercit.* 13. q. 3. Sutholt *disp.* 17. *thes.* 29. Strauch *diff.* 32. *thes.* 11. Eckolt *in ff. ad tit. famil. Hercif* §. 1. Schambogen *ad §.* 20. *Inst.* Böecklm *ff. tit. fin. reg. n.* 1. Rath *in tr. de act. n.* 55. Clarissimus D. Christophorus de Chlingensperg *Inst. de act.* q. 9. & 10. Haunoldus n. 67. cit. ubi allegat Fabrum Zoësum ac alios. Et novissimè Hahn *contract.* 99. & plures alii, nimirum Brunemannus, Struvius, Lauterbach, Schneidevvin. Sic autem pro se arguunt. Tale datur jus, qualis datur actio fundata in jure; sed in jure datur genus actionis mixtae: ergo etiam debet dari jus mixtum, ex quo actio mixta descendat. Minor si negetur, integram quadrigam plerique in campum producant, nimirum 1. *petitionem hereditatis*, quae est actio civilis bonae fidei rei persecutoria & perpetua, qua haeres agit adversus eum, qui pro haerede aut possessore possidet, petitque, ut haeres declaretur, ac haereditas cum omni causa restituatur. 2. *Actionem finium regundorum*, quae definitur, quod sit actio civilis rei persecutoria & perpetua, qua vicini agunt ad directionem finium, & praestationem illius, quod praestandum est. 3. *Actionem familiae Herciscundae* quae est actio civilis bonae fidei perpetua, rei persecutoria, qua cohæredes petunt, ut haereditas dividatur, & utrinque praestetur, quodaequum est. 4. *Actionem communi di-*

videndo, quæ dicitur actio civilis bonæ fidei rei persecutoria & perpetua, qua illi, qui rem aliquam singularem citra societatem Communem habent, ad divisionem rei, atque ad præstationem illius, quod æquum est, provocant.

242

Ita autem pro prima seu *hereditatis petitione* instant. *Hereditatis petiti*o est æquè principaliter realis & personalis: ergo & mixta. Pars prior antecedentis extra dubium est ex *L. 10. ff. de petit. hered.* posterior probatur. Et I. Quidem ex *L. 7. C. de petit. hered.* ibi: *hereditatis petitionem præscriptio longi temporis non submoveri, cum mixta personalis actionis ratio hoc respondere compellat.* jam sic: ex una parte petiti'o hereditatis perpetua est, & triginta annis durat; quia illi personali acti'o mixta seu admixta est: ex altera parte nulla actio purè realis triginta annis durat, ut ex *L. cit.* liquet: ergo petiti'o hereditatis non est purè realis. Confirmatur. Hæc actio constat ex duobus, actione scilicet *in rem. L. 25. §. 18. ff. de hered. petit. & ex præstationibus, quæ sunt actiones personales L. 22. §. 4. ff. famil. Hercif.* igitur indubitato est mixta. II. Petiti'o hereditatis in *§. 28. J. de act. & L. ult. in fin. C. de pet. hered.* connumeratur judiciis bonæ fidei; hæc autem qualitas actionibus personalibus & mixtis propria est, neque actionibus purè realibus accommodari potest: ergo. Falleris autem si putes hoc ideò fieri, quòd ad naturam actionis negotiorum gestorum proximè accedat, dum præstationes personales persequitur; quia ut Hahn respondet: negotiorum gestioni nihil simile habetur tunc, quando negotium non alterius intuitu, sed proprio nomine gestum est. *per. L. 13. & L. 15. C. de neg. gestis.* aut quare non eodem modo rei vindicatio actio confessoria &c. bonæ fidei dicendæ sunt, cum etiam in his veniant præstationes personales seu emolumenta percepta restituenda, v. g. fructus, pensiones ex rebus elocatis perceptæ. III. Si agens petitione hereditatis per sententiam declaratur hæres, à possidente pro hærede etiam bonæ fidei refundendi sunt ipsi omnes fructus & omnia emolumenta à viginti novem annis retrò percepta, modò ad huc virtualiter existunt *L. 25. §. 11. & L. 40. §. 1. ff. de hered. pet.* quia veniunt jure actionis tanquam augmentum hereditatis ut dicitur *§. 1. cit.* neque necessarium est, ut petantur, cum censeantur peti hoc ipso, quòd petita sit hereditas & cum illa adjudicari censeantur *L. 2. §. 2. ff. cit. tit.* quòd secus se habet in rei vindicatione; nam licet etiam in hanc commodum acceptum & damnum datum veniat *L. 13. ff. de rei vind.* non tamen veniunt jure actionis sed officio judicis implorato, sive ut habet Hoppius *ad §. 2. de off. jud.* in rei vindicatione judex non adjudicat fructus ante litem contestatam perceptos, nisi ab actore nominatim fuerint petiti *L. 25. §. 8. ff. de edil. Edict. L. 10. de usur.* ibi: nisi specialiter & pro hoc egisset. Zœsius *de R. V. n. 59. & de re. jud. n. 112.* quod si judex id prætermittat, & sententia in rem judicatam transierit, nulla vindicanti superest actio ad fructus. Per *LL. cit.* quin imò in rei vindicatione neque fructus virtualiter tantum existentes ab actore peti possunt, ut satis recepta, multisque in locis praxi confirmata habet opinio: Atqui notabilis adeò diversitatis inter petitionem hereditatis & vindicationem rei nulla alia conveniens dari potest ratio; nisi quòd præstationes æquè principaliter veniant in petitionem hereditatis, in rei vindicationem verò solum accessoriè: hoc autem dato indubitatum omnino videtur, petitionem hereditatis æquè principaliter esse actionem realem & personalem, quòdque inde necessaria consecutione deducitur, actionem esse mixtam, mixtamque habere causam seu ex jure mixto resultare.

243

Nec minùs acriter pro reliquis tribus decertant, non tantum pro omnibus simul, sed etiam pro singulis seorsim; sic autem ferè pro triade hac urgent. I. Tria hæc judicia divisoria descendunt ex juribus realibus & per-

personalibus: igitur pro mixtis habende sunt: consequentia videtur innegabilis, quia per actionem mixtam aliud non intelligitur, quam actio, quæ æquè principaliter descendit ex jure reali ac personali. Antecedens probatur. Sic actio familiæ heriscundæ non solum est personalis, quia oritur ex quasi contractu. §. 4. J. de oblig. que ex quasi contr. sed etiam realis, quia ex dominio seu jure hæreditario competit, quo hæreditas actori pro parte indivisa propria est L. 22. §. 4. ff. famil. heriscif. nec minus actio de communi dividendo realis & personalis est; realis, ut manifestum est ex L. 4. pr. comm. divid. ibi: per hoc judicium rerum corporalium fit divisio, quarum rerum dominium habemus. personalis verò, ex L. 4. cit. §. 3. ibi: sicut autem ipsius rei divisio venit in communi dividendo judicio, ita etiam præstationes veniant, & ideo, si quis impensas fecerit, consequatur &c. de utraque etiam actione, reali nimirum & personali participat actio finium regundorum, & de reali quidem, ut habetur L. 1. ff. fin. regund. ubi dicitur: licet pro rei vindicatione est. L. 1. C. eod. ibi: nec amplius emptor, quam quod ratione secundum venditionis fidem ad se pervenit, vindicare potest. Item L. 4. pr. ff. eod. ubi habetur, judicem pro ratione cujuscunque dominii hoc in judicio adjudicare. Adde §. 9. L. 4. & L. 12. de personali autem res clarissima est ex L. 1. fin. regund. L. 4. §. 1. eod. ut plerique etiam ex adversariis vel nolentes admittere coguntur, dicitur enim hæc actio esse in personam, ac etiam fructus in hoc judicium venire. II. Ipse Imperator questionem hanc satis aperte decidisse videtur, dum de tribus his actionibus in terminis pronuntiat, quod mixtam causam obtinere videantur tam in rem quam in personam. §. 20. J. de arb. nec elu. Haberis, si dicas, verbum *videri* apparentiam tantum importare arg. L. 54. ff. de jure dot. juncta L. 12. C. eod. vel improprietas notam esse L. 1. §. 12. ff. de vi & vi armat. L. 129. de V. S. hic autem esse sermonem de actionibus mixtis in proprio sensu; siquidem verbum hoc non raro veritatis & modestiæ nota est. ut in §. 30. J. de arb. §. 2. J. ad L. aquil. L. 37. ff. de contr. empt. L. 44. §. 1. ff. de Leg. 1. L. 1. §. 3. ff. ad Turpil. L. fin. C. ad SC. trebell. L. 75. §. 3. ff. de cond. & demonstr. L. 9. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. igitur sine fundamento dicitur, Justinianum verbum hoc ad denotandam improprietatem usurpasse, præsertim cum addiderit, eas mixtam causam obtinere, tam in rem quam in personam. III. Si actiones hæ non forent propriam mixtam, dicendæ forent merissime personales, quod tamen spectato jure indubitato falsum videtur: ergo. major est clara; quia actiones hæ ex quasi contractu nasci, adeoque personales esse, patet ex §. 3. & 4. J. de oblig. que ex quasi contr. ac Juribus nuper allegatis. Igitur si non sint simul reales, adeoque mixtæ, merissime personales erunt. Minor pariter videtur certa, tum quia, ut §. 65. discurret Arnoldus Rath, si actiones hæ mere personales forent, tunc vi illarum unus alteri obligaretur, ut rem dividi patiat, hæc autem obligatio non nisi pro monstro haberi debet in Jure nostro cum nullum illius existet vestigium; nec enim nunquam audita fuit actionis formula: *ago te mecum rem dividere teneri*. Sed potius quod quis alterum ad divisionem provocare possit,mero jure est constitutum, ne quis in Communionem, utpote discordiarum nutrice L. 77. §. 20. in fin. ff. de Leg. 3. stare obligetur: tum quia ut loquitur Hahnus Resp. 2. ad fin. si jure obligationis hæreditas aut res singularis communis dividenda, fines confusi discernendi forent; sequeretur, has actiones simpliciter personales ex duplici fonte tales esse, seu duplicem causam efficientem habere; ex quasi enim contractu descenderent, quo ad præstationes personales; quo ad obligationem verò, qua unus alteri obstringitur, ut rem dividi patiat, descenderent ex claviula & aliis quibusdam modis §. 1. J. de arb. Atqui infero laudatus Hahnus, hoc æquè paradoxum est; ac aliquem ex duabus matribus esse progenitum: ergo.

Adducuntur Fundamenta opinionis negativæ.


- 244 PRO sententia negante castra sua muniunt Donellus ad §. 20. *Inst. de act.* Vinnius §. 2. *J. eod.* Harprecht §. 1. *J. eod. n. 15.* Hunnius *Lib. 4. Var. res. sol. tr. 2. q. 6.* Fleck *in bibliotheca J. civilis. L. 5. tit. 25. n. 18.* Wiessenbach *ad ff. disp. 22. thes. 26.* Clarissimus P. Schmier *de Jud. c. 1. sect. 2. §. 5. & de Jur. propr. c. 1. sect. 1. §. 1.* Glettle *q. 30. in 2. part. pand.* Franz *ad tit. de act. part. 5. sect. 1. §. 3. n. 5. & sect. 2. §. 2. n. 5.* ubi plures alios causæ suæ faventes allegant. Hos autem ferè in cuneos rationum suarum momenta distribuunt, quibus condensatas ab adversariis legum centurias perrupturos se sperant.
- 245 I. Nec D. Justinianus, nec JCTi veteres actionum mixtarum speciem agnovere: igitur neque à JCTis admitti potest, nisi legislatorem ejusque JCTos in omni scientia versatissimos erroris aut mancæ omnino doctrinæ arguere velint. Antecedens probatur. Justinianus §. 1. *J. de action.* ita pronuntiat: *omnium actionum, quibus inter aliquos apud Judices arbitrosve quaritur, summa diviso in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personam.* Quod haud dubiè ex Ulpiano *L. 25. in pr. ff. de O. & A. mutuatus est,* ibi enim JCTus sic ait: *Actionum genera sunt duo, in rem, quæ dicitur vindicatio, & in personam, quæ conditio appellatur. In rem actio est, perquam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum, qui rem possidet. In personam actio est, quæ cum eo apitur, qui obligatus est vobis ad faciendum aliquid vel dandum, & semper adversus eundem locum habet;* Sed si summa actionis divisio in realem tantum & personalem deducitur, ut Imperator loquitur, si hæc duo tantum suprema sunt actionum genera, ut Ulpianus sentit, non agnoverunt actionum mixtarum speciem; nam aliâ duabus illis etiam mixtâ adjungere debuissent. Ergo nisi illos erroris aut mancæ Doctrinæ arguere velint JCTi, admittere non possunt actiones mixtas. Si dicas, sub hac ipsa divisione comprehendi actiones mixtas; eod quod sub mixtis comprehendantur simplicia arg. *L. 3. ff. de juris dict. fateri debetis, sub divisione equi & asini etiam mulum comprehendi. L. 3. de jurist.* Plus nocet quam prodest adversariis, tum quia hoc ipso, quod alia species jurisdictionis sit imperium merum, alia mixtum, Ulpianus utramque exprimit: igitur etiam, si speciem actionis mixtæ agnovisset, illam expressisset: tum quia imperium mixtum non est species mediâ inter duas extremas, sicut actio mixta; imperium enim merum est jurisdictio, quæ nobili judicis officio, spectante immediatè bonum publicum, exercetur, mixtum verò jurisdictio, quæ exercetur nobili judicis officio respectante immediatè bonum privatum, ut adeo terminus mixtum in alio omnino sensu accipiat in hac lege, quàm dum de actione mixta sermo est.
- 246 II. Petitio hæreditatis est plenissimè actio realis: ergo non potest dici mixta. Consequentia patet, antecedens probatur. Petitio hæreditatis fundatur proximè & unicè in dominio hæreditatis, & non simul in jure aliquo personali; qui enim movet petitionem hæreditatis, non intendit adversarium dare aut facere oportere, sed id duntaxat petit, ut hæres declaretur, ac hæreditas sibi tanquam domino restitatur *L. 10. §. 1. ff. de hered. pet. item L. 1. §. 1. ff. si pars hered. pet.* ubi dicitur hæreditatem ex suo jure vindicare. *L. verò 25. §. 18. ff. de hered. pet.* de ea dicit Ulpianus: *petitio hæreditatis, etsi in rem actio sit, habet tamen præstationes quasdam personales, ut puta eorum, quæ à creditoribus sunt exacta: item pretiorum;* igitur non obstant, quod præstationes personales habeat, est actio mere realis, & consequenter præstationes personales illam non faciunt actionem mixtam; aliâ etiam rei vindicatio actio mixta foret; quia ipsa quoque præstatio-

nes personales admixtas habet; possessor enim non rem tantum, sed totam causam ejus præstare jubetur, & quidem eo usque, ut si forte ratione rei preempræ adquisierit actionem legis Aquiliæ, hanc quoque cedere. Cogatur *L. 17. §. 1. L. 20. ff. de R. V.* Neque obstat, quod in rei vindicatione non debeantur præstationes personales, nisi petantur, imò probabilius non omnes, sed tantum formaliter exstantes actori à Judice adjudicari possint, secus ac contingit, quoad utrumque in petitione hæreditatis. Siquidem ratio hujus disparitatis nullatenus inde petenda est, quod hæreditatis petitio sit actio mixta, non verò rei vindicatio, sed in hoc tunc fundatur; quia fructus ex aliena hæreditate percepti, vel pecuniæ fructuum distractorum loco comparata non acquiruntur possessori hæreditatis etiam bonæ fidei, sed hæreditati, utpote quæ est universitas quædam ac corpus mysticum, recipiens per se incrementum ac decrementum, tametsi ab hærede vero non possideatur *L. 20. §. 3. L. 25. §. fin. ff. de hæred. pet.* indeque surrogatum seu acceptum ex re hæreditaria sequitur naturam ejus, cui surrogatum est *L. 25. cit. §. 18. L. 40. §. 2. & seqq. ff. eod. contra vero possessor bonæ fidei rei alienæ singularis fructus etiam formaliter exstantes ad interim seu revocabiliter suos facit *L. 48. in pr. ff. de acquir. rei dom.* virtualiter verò exstantes omnino lucratur *L. 4. §. 2. fin. reg.* igitur mirum non est, quod in rei vindicatione præstationes personales & fructus non debeantur actori, nisi illos petierit, obtineat illos e contra in petitione hæreditatis; hæres enim, qui contra possessorem petitione hæreditatis agit, totam petit hæreditatem, ad hæreditatem autem non solum pertinent jura realia sed etiam personalia, seu fructus & præstationes personales. Id solum ad *L. 25. §. 12. cit. de hæred. pet.* noto, Ulpianum ibidem solum loqui debere de iis, quæ à creditoribus exacta fuerunt, nondum tamen obtenta à possessore, uti etiam de pretiis nondum illi solutis; si enim jam obtenta aut soluta essent, hæres non solum jus personale sed reale haberet respectu eorum, sicut respectu reliquæ hæreditatis, ut certum videtur *ex §. fin. ejusd. L. 40. ex §. 3. L. 2. eod. tit.* qui Eiusdem JCri Ulpiani sunt.*

III. In actionibus familiæ Herciscundæ communi dividundo & finium regundorum non deducitur in controversiam jus in re, neque unus movet alteri questionem domini *arg. L. 1. §. un. ff. famil. Herciscund.* ergo nullo modo sunt reales, sed mere personales; siquidem in actionibus realibus dominium vel jus in re necessario in disceptationem vel controversiam venit *§. 1. J. de act.* nec refert, quod in his actionibus non tantum petamus præstationes personales, sed etiam id, quod nostrum est; quia quod nostrum est, non petimus jure domini sed jure obligationis, conferre modo, quo in aliis actionibus personalibus commodati, locati, depositi &c. rem nostram petimus, licet nullo modo nos in dominio vel alio jure in re, sed præcisè in obligatione fundemus, remque nostram, ab alio detentam, jure obligationis petamus. Constat equidem, actio familiæ Herciscundæ rebus & præstationibus personalibus *L. 22. §. pen. ff. famil. Hercisc.* non tamen rebus vindicandis sed solum dividendis. II. Actiones reales suapte natura non competunt possessoribus *§. 2. J. de act.* danturque adversus quemcumque possessorem *L. 25. ff. de O. & A.* vi enim juris in re rem talem nobis subicere possumus, à quocumque illa detineatur; atque hæc actiones dantur non minus illi, qui possidet, quam qui non possidet *L. 1. §. 1. ff. famil. Hercisc.* danturque perpetuo adversus eundem, cohæredem aut illum, cum quibus habemus rem communem, non verò alium: ergo sunt mere personales. Nec plus probare videtur *L. 1. ff. fin. regund.* ubi actio finium regundorum pro vindicatione rei esse dicitur;

Jctus enim plus non vult, quam quod naturam imitetur actionis realis; licet in personam sit. Actio de communi dividundo ex re nascitur *L. 29. ff. de comm. divid.* ita est, non tamen ex jure reali, sed ex re gesta seu factio ejus, qui solus ex re communi aliquid percepit, aut solus in eandem aliquid impendit, licet inter eos, qui rem Communem habent, nihil contingerit. Confer. *L. 40. ff. de negot. gest.* Unde habetur actionem communi dividundo, actioni negotiorum gestorum admodum propinquam esse, idem dicendum, si quid à possessore ex hereditate perceptum, aut in illam impensum fuerit. Nec contradicit *L. 13. & L. 15. C. de negot. gest.* ibi enim animus donandi præsumitur. III. Ex nullo contractu qua tali aut quasi tali nascitur actio realis; atqui hæc tres actiones nascuntur ex quasi contractu §. 3. & 4. *J. de oblig. que ex quasi contr.* ubi communio tam particularis quam universalis, quæ nimirum inter plures cohæredes habetur, quasi contractibus accensetur. Etsi verò de actione finium regundorum id nullibi exprimitur, idem nihilominus dicendum; tria quippe hæc judicia causam & naturam communem obtinent. per textus §. 4. 5. & 6. *J. de off. Jud. L. 13. & L. 14. ff. de Jud. L. 2. §. un. ff. de commun. divid. L. 1. §. 1. C. de anal. Except.* ergo non sunt actiones reales sed merè personales. ait quidem Jctus Paulus *L. 1. ff. comm. divid.* *Communi dividundo judicium necessarium fuit, quod pro socio actio magis ad personales præstationes pertinet quam ad communium rerum divisionem.* Per hoc tamen aliud non vult, quam Ulpianus in *L. 43. ff. pro socio*, nimirum quod actione pro socio ad divisionem rei communis deveniri non possit, non verò quod actio communi dividundo sit realis aut mixta, alias ad distrahendam societatem actio realis aut mixta competeret, datur enim ad hoc actio de communi dividundo. Brunemannus ad *L. 1. cit. Lauterbach Thes. 28. ff. pro soc.* ad hæc si formula hæc *ego te mecum dividere teneri*, monstrum est in jure nostro, idem quoque de aliis, quæ nullibi expressæ sunt, dicendum foret, sicque Imperator §. 1. *J. de act.* post expressas formulas *dare aut facere oportere* subjungendo & aliis quibusdam formulis non nisi immaniū monstrorum matricem prodidisset. Minus adhuc stringere videtur, quod Hahnus opponit, neque enim actiones hæc, si merè personales sint, ex duplici fonte proficiunt, sed ex uno, nimirum quasi contractu; ex quo non modo obligatio ad præstationes personales, sed etiam ad divisionem faciendam proficit.

Atque hæc sunt potiora rationum momenta, quæ pro utraque hac sententiæ diametro opposita à majorum etiam gentium Jctis proponuntur, tantoque sapius fervore agitantur, ut, qui in jure omnino peregrinus est, de Justiniani & Jctorum Palladio agi crederet, cum tamen quo ad effectum inter unam alteramve opinionem vix aliud intersit, quam quod, si tria hæc posteriora judicia merè personalia dicantur, in foro solum domicili, vel ubi alias in personalibus quis forum sortitur, intentanda sint, contra verò si mixta esse defendantur, etiam in loco rei sitæ juxta multos intentari possunt Stryckius in *usu mod. ad tit. fin. regund. §. 3.* forum autem hoc, seu locus rei sitæ alius non est, quam forum aut locus quasi contractus; adeoque etiam hæc differentia in effectu vix ulla est. Etsi verò in posteriorem & negativam sententiam haud paulo magis inclinem, diligenti patebit, quin tamen etiam prior probabilis sit, nullus ambigo; hinc quamcunque amplexus fueris, si non fœderatum, nunquam tantum inimicum me habebis. Plura si vells, ea quæ pro utraque hac opinione adduxi, attentius pondera, sicque haud difficulter vel hanc vel illam exercitii gratia sustinere poteris. Mihi pro hic & nunc satis est, me utramque ad finem hujus dissertationis in Juris trutinâ librariam appendisse.



POSITIONES EX UNIVERSO JURE.

Ex Jure Publico.

I.
Veritas fidei Orthodoxæ seu Romano-Catholicæ ex ipsis
Juris Civilis Principiis satis solidè evincitur. *Repugnabunt
Lutherani & Calvinista Imperii.*

II.
Summum Jus in Sacra & Religionem Christianam soli Ro-
mano Pontifici convenit, nec quidquam in his statuere possunt
Principes sæculares. *Frustrà provocant DD. A catholici ad Pacem
Religiosam Monasteriensem.*

III.
Res verè sacræ & Religiosæ non desinunt esse tales, si ab
hostibus etiam infidelibus capiantur. *Nullum est fundamentum
Hugonis Grotii de J. P. & P. lib. 3, cap. 5.*

IV.
Jurisdictio Ecclesiastica & spiritualis Romani Pontificis non
tantum est supra Reges & Principes Baptizatos, sed etiam su-
pra Concilium Oecumenicum. *In 1. parte contradicunt A catho-
lici turmatim in 2. part, aliqui ex Gallis.*

V.
Summus Pontifex definiens aliquid ex Cathedra in Decre-
tis fidei & Morum etiam extra Concilium Oecumenicum est in-
fallibilis. *Contradicunt præcedentes.*

VI.
Ut tamen summus Pontifex de rebus temporalibus Eccle-
siarum licitè & validè disponere possit, indiget justâ causâ.
Dissentiunt non pauci quoad valorem dispositionis.

VII.
Princeps sive à subditis sive ab exteris etiam per pactum gra-
viter læsus dolo, errore, aut metu injusto, se ipsum in inte-
grum

grum restituere potest. *Dissentit Hugo Grotius quoad utramque partem: quoad pacta cum subditis etiam Puffendorffius.*

VIII.

Mare non solum interclusum, ut est fretum aut sinus, sed etiam externum absolute capax est Domini humani. *contradicit Grotius de mari libero.*

IX.

Etsi mare alluens & littora hodie desierint esse communia, ac Principi terram occupanti cedant, ex hoc tamen nequaquam cessat acquisitio rerum in littore repertarum, nisi accedat prohibitio Principis. Idem est de jure piscandi in Mari alluente. *Repugnant sine fundamento aliqui ex Practicis.*

X.

Princeps nullo jure potest res Universitatis proprias Camerae suae vindicare, vel aliis appropriare, nisi gravis & publica causa id exigat. *dissentiunt plures, & acerrime Perusinus.*

XI.

Pro debito universitatis non possunt capi personae singulares, aut res earum, nisi ex mandato speciali etiam res singulorum civium fuissent obligatae, aut jus repressaliarum locum haberet. *Consentiunt plerique omnes.*

XII.

Salvo textu Aureae Bullae Filio Electorali Impuberi in testamento paterno tutor dari potest. *Disputatur in Theoria.*

Ex Jure Canonico & Civili.

XIII.

Promulgatio Legis est de ejus essentia: non vero acceptatio populi. *ita communis contra paucos.*

XIV.

Lex simpliciter irritans etiam ante sententiam in tantum obligat in conscientia, ut ex actu invalido nullum emolumentum percipere liceat. *Ita probabilior contra non paucos.*

XV.

Hinc testamentum destitutum solemnitatibus a jure requisitis nullum est etiam in foro interno. *Nec oppositum evincunt rationes, quae pro benigniore afferuntur sententia.*

XVI.

Ex pacto nudo nec de Jure Civili, nec de Jure Canonico datur actio, bene tamen ex consuetudine, praesertim Germaniae. *Fundamentum, quo aliqui repugnant de Jure Canonico, nobis non videtur sufficiens.*

XVII.

Infans Civiliter talis, etiam rationis compos, nec se alteri, nec alium sibi obligare potest, extra sponsalia ne quidem tutore Auctore. *Contradicit Glettle.*

XVIII.

XVIII.

Pupillus habens tutorem ex contractu, in quo rem suam deteriore facere potuit, quoad effectus sibi nocivos nec civiliter nec naturaliter obligatur, nisi ditior factus fuerit: obligatur tamen quoad effectus aliis intervenientibus nocivos. *Contradicunt quoad rem Theologi, quoad modum loquendi etiam J.Cti.*

XIX.

Idem sentimus cum proportione de Minore saltem quoad bona illius. *Repugnant idem.*

XX.

Filiusfamilias ex mutuo patre inscio & invito regulariter nec naturaliter, nec civiliter obligatur, nisi acceptum restituerit, aut sui juris factus solverit. *Oppositum tenent quoad obligationem naturalem Covarruvias & Fachineus.*

XXI.

Idem dicendum, etiamsi is, qui filiofamilias mutuuum dedit, bona fide egerit, atque inculpate ignoraverit S.Ctum Macedonianum. *Contrarium defendunt post P. Engl plures.*

XXII.

Similiter qui pro filiofamilias intercedunt, nec naturaliter nec civiliter obligantur ex mutuo, nisi animo donandi intercesserint, aut promissum solverint. *Negativam à fortiori tuentur Covarruvias & Fachineus.*

XXIII.

In quantum verò filiusfamilias ditior factus est, non solum naturaliter sed etiam Civiliter obligatur. *Etiam hoc casu illum absolvunt Wadingus, Haunoldus & plerique Legiste.*

XXIV.

Judæus celebrans contractum cum Christiano, in quo ipsi Christianus obligatur, ordinariè nulliter agit, nec actionem aut jus contra christianum acquirit, nisi obligatio hæc auctoritate Magistratûs loci, in quo Christianus domicilium habet, confirmata fuerit. *Ita omninò sentiendum nisi alicubi statutum, aut consuetudo legitime probata oppositum habeat.*

XXV.

Si Judæus Christiano actionem, quam adversus alium Christianum habet, vendat, aut cedat, & cedens & cessionarius actione hac sua privantur, nec à debitore cesso quidquam exigere possunt. *Idem est de hac, quod de thesi præcedente judicium.*

XXVI.

Pactum vel transactio de re aut facto turpi nec impleta conditione convalescit, sive loquamur de Jure naturali, sive de Jure humano. *Dissentiunt Theologi, & J.Cti plerique.*

XXVII.

Clerici nec actione personali, nec reali conveniri possunt coram Judice sæculari. *Frustrà confugiunt aliqui ad consuetudinem de actione reali.*

XXVIII.

Pactum nudum adjecto juramento non vestitur, nec vim producendi actionem recuperat. *Ita probabilior contra Salicetum & Fachineum.*

XXIX.

Contractus tamen vel alius actus de Jure Positivo solum invalidus juramento adjecto convalescit, modò juramentum nec dolo, nec metu gravi extortum, nec à Jure irritatum fuerit. *Ita contra communionem, non tamen probabiliorum dCtorum.*

XXX.

Nulla est venditio hereditatis hominis viventis, nisi hic consenserit. *Frustrà recurritur ad L. 3. §. 2. ff. pro Socio.*

XXXI.

Valet tamen venditio hereditatis jam delatæ. *Ut pro certo habemus.*

XXXII.

Quo casu etiam Jus accrescendi ad emptorem pertinet. *De quo multum controversant Jcti.*

XXXIII.

Nulla quoque est renuntiatio simplex de hereditate Patris aut Matris viventis. *Nisi forte alicubi ex consuetudine vel statuto filii nati minores & filie pro renuntiatis habeantur.*

XXXIV.

Sponsalia de futuro metu extorta omninò valent. *Oppositum docent non pauci.*

XXXV.

Potest etiam illis adjici pæna. *Contradicunt multi ex Jure Civili.*

XXXVI.

Per sponsalia verò de præsentibus non solvuntur, sed tantum suspenduntur. *Nec obstat Rubrica c. 22. & 31. h. t.*

XXXVII.

Matrimonium metu extortum solo Jure Positivo, non verò Jure naturæ est invalidum. *Oppositum tamen non est improbabile.*

XXXVIII.

Initium verò sub pacto vel conditione de servanda castitate nullum & irritum est. *Contradicunt multi sub specioso pietatis titulo.*

Ex Jure Feudali & Criminali.

XXXIX.

POtest Prælati Ecclesiastici infeudationem rei feudalis promittere in casum aperturæ. *Atque hæc opinio nobis videtur certa non solum de Jure Civili, sed etiam de Jure Canonico.*

XL.

Clerici sæculares per se sunt capaces feudorum sæcularium, ac obligari possunt tanquam Vasalli sæculari Principi; modò servitium personale cum statu Ecclesiastico incompatibile non sit. *Nec obstant, quæ à Laymanno & Mynsingero opponuntur.*

XLI.

XLI.

Idem sentimus de Religiosis, Religionem bonorum temporalium capacem professis. *Nec oppositum evincunt rationes allatae à Decio & Rosenthal.*

XLII.

Faemina per successionem Masculi, à feudo faemineo semel exclusa, non manet semper exclusa, sed masculis deficientibus succedit. *Repugnat teste Mynsingero & Fachineo satis communis.*

XLIII.

Si Dominus à Vasallo feudum propriè dictum in pignus accepit, non tenetur fructus computare in sortem. *Ita sentiendum non solum de Jure Canonico, sed etiam de Jure Civili.*

XLIV.

Legitimatio filii naturalis per subsequens matrimonium mediatum non tribuit illi Jus primogenituræ feudalis, aut alterius ante filium jam prius legitime natum, licet natu minorem. *Nec contradicit c. 6. qui fil. legit.*

XLV.

Legitimatis tamen per matrimonium immediate subsequens jus hoc concedimus, etiam in feudis *saltem de consuetudine.*

XLVI.

Pæna capitalis furto simplici à Carolo V. constituta justissima omnino est. *Nec audiendi sunt Bachovius, Wissenbachius, Eckolt & alii.*

XLVII.

Si tamen fur rupto laqueo vivus decideret, ac omnis fraudis suspicio abesset non posset dehuo, saltem sine nova sententia, suspendi. *Consentiunt variis in Provinciis Plebes inanimibus ratiunculis persuasi, dissentiunt verò Juri plerique.*

XLVIII.

Datur condictio furtiva adversus hæredes furis in solidum, licet nihil ad illos pervenerit. *Frustra contradicunt Cajacius, Vultejus & plures.*

XLIX.

L. 5. C. ad leg. Jul. Majest. subjacent liberi tam ante, quam post admissum scelus nati, modo sint legitimi & naturales simul. *Nec evincit oppositum Harprecht.*

Aliud sentimus de nepotibus; *Quia Lex odiosa est restringenda.*

Omnia ad Majorem Dei, Deiparæque Virginis semper Immaculatæ Gloriam & honorem.




2015 EVAX ... P. P. 112

Prænobili, ac Clarissimo Domino
DEFENDENTI.

Inignes heroa decent certamina Martes,
Laurus & æterna non nisi digna cedro.
Ergo age: te dignam conscendito martis arenam,
An dicam victor maris vel arte prior?
Jam conscensa fuit quoties tibi martis arena?
At vix Conscenso limine victor eras.
Victor eras: sed quid mirum? cum fama vel ipsa
Gestorum laurum porrigat antè tibi.
Quid munire, sago corpus? munire quid ense
Est opus hæc dextram? cernitur hostis ubi?
Subdita: victrici laurus se subdet oliva;
Victori statuet Marsque trophæa suo.
Applaudet stupefacta nimis quæ turba virorum
Et genere & studiis nobilitata tibi.
En: submissa tibi virgo Tritonia palmam
Et Jaurus offert, præmia docta satis.
Eja age! victor ova, dum necdum prælia fervent,
Antèque confictum jam tibi laurus adest.
Tu Patriæ fulcrum, populique vocabere tutor,
Arque: sacra Themidis glòria, & orbis amor.

*Ita Victor egregio ex singlari a More
honoreqve applaudis*

THOMAS GOLDR, J. H. Licent.
Sacerdos.



Otia vulgus amat; nullus dejecta laceffit
Pectora laudis amor: tegnes consumere fruges
Si datur ignavis: calum pigra vota secundat,
Egregios generosa tibi mens surgit in aulis
Intrepidis ardens animis in gloria spernis
Otia, magnanimus quin dedignaris, inertes
Possè perfire dies: pugnas & prælia spiras.
Magnæ, salientque tibi victurus ardens
Cum tua pro clypeo sustentet pectora Baldus,
Invictusque tibi transcribas Bartolus arma;
Victrices (nullus dubita) tibi tempora circum
Florescent lauri: Semper bona causa triumphat:
Quæ tibi debet munus te recte probaret,
Quod sibi deberi munus te recte probaret,
Ut quæ tot dotes, quæ tot pulcherrima dona,
Quot vix in multos spargit, congestit in unum.
Perpetuus honor tibi Justinianus honor
Franciscæ: hoc vigiles noctes, solèsq; merentur
Sudari. Verum, quid se sine multa fatigat?
Eni tota dignum se spectatura effentem,
Attonitos rursus, currus stupefacta reflectit,
Ut docta redimat frontem tibi Daphaide, nonna.
Transcribatque tuum pugil immortalibus annis.

Ica

*ex sincero De Vota Mentis affectu
atq; gratia*

GEORGIUS FRANCISCUS XAVERIUS
STUZI, Juris Utriusque Studiosus.

PRÆNOBILI


CLARISSIMO DOMINO

ADAMO FRANCISCO
XAVERIO AUER,

THESES EX UTROQUE JURE
PUBLICÆ PROPUGNANTI.

Exaltans agendum Magnanimus Pugil
Tandem progredere, & pervigilantibus
Curis, atque labore
Induratus ad ardua
Pugnam ordire possam. Namque cuius Themis
Tutatrix adhibet diva laboribus,
Suggestore Clienti
Bonum providens suo
Nempe, ut ne motu ambigua vices,
Quando Astra potens, & Socia, Fides,
Leges, hæcque ministrant
Pugnanti arma potentia.
Hoc ergo socio fortior agmine,
Hostes intrepidus multiplices fuga:
Errorumque ministros,
Et fraudum, ac scelerum duces.
Æquis Cecropidas junge Catonibus,
Et vim sædifragæ pelle tyrannidis:
Leges vindica, iniquos
Profligans Ephoros procul.
Unum præcipue, dente quod improbo
Sacratos Canones Pontificum petit,
Cleri jura quod aufit
Calcere, os petulans doma;
Quod suadet populis, Romulidas Patres
In Leges Patriæ, Juræque Civium
Irrupisse protervos,
Atque ausu temerario
Sacrarum velut è munere Clavium
Divinis solito iura Forensia,
Et mittere profanam
Sensim Justitiam sacræ;
Hos tales trivio de grege zoilos
Mordaces sciolos, nil quibus est sacrum,
Nil sanctum undique, quod non
Rodant dente nefario;

He



Hos inquam facili confice praelio:
Armatura levis namque levissimis
Pronum sternitur armis.

Et quidni cadat ocyus,
Et linguam sibi prehordeat impliam,
Tu quando gravium pondere ferreo
Incumbes rationum
Ostendes hodie palam!

Quam nunquam bene Prudentia Publica
Juris sola queat Jus sibi dicere,

Si non huic comitem se
Jungat sacra Scientia:

Quam semper male Respublica fluctuat
Cui non obtinuit Religio forum;

Cui non Justinianus
Surgit Pontifici pius:

Cui non prima fuit Regula Jurium
Hac debere profanos famularet

Clavos, atque secures
Romæ clavibus & Mitre.

Hac dum læta brevis conficiet tua,
Victori properat nescire civem:

Ipsa Astra coronam
At præna carentium;

Quod solum potero, turbae ego misceor,
Ac laudum Titulos concino debitos,

Et pugnae monumenta
Plausu commiserito solo

Honoris & Amoris ergo

GEORGIUS JACOBUS WAIBL,

J. U. Stud.

Contra Larcenum. 47^o

1. Talis fur debet suspendi sine nova sententia.
2. ubi n̄ est proceſſus, non requiritur sententia. {no. ipso quo deapudatur, et carnifex aſſeruat.
3. non est ſatisfactum sententia, qua fuit mortis.
4. per miraculum raro decidunt.
5. Deus cum impiis n̄ agit miracula.
6. que raro accidunt, non veniunt in aſſerationem. L. 2. § 4. ff. de R.
7. potest etiam decidere arte magica, incantationibus. pp.
8. potest etiam realiter fieri, p̄ infirmitatem furis, et gravitatem oneris.
9. carnifex p̄ eē negligens, vel oō corruptus.
10. adest ha capreſa.
11. Carolin: p̄ces: art: 167. Lud, p̄ll des Mann mit dem Straug von Gben,
zum Todt erſtrafft worden.
12. Altem deberet mitius puniri.
13. Sufficeret, si sententia aliquem haberet effectum.
14. habet sufficientem effectum, si talis relegaretur.
15. in Criminalibus mitior sententia est retinenda.
16. potest in tali casu Jurea rigorem juris mitigare, et temperare.

Contra Heli. 36^o

1. sponsalia de futuro antecedente tolluntur quoad obligationem, per subsequētia de presenti.
2. si n̄ tollerentur, sequerentur multa mala.
3. infelia matrimonium.
4. et quis obligatus duabus.
5. forte matrimo n̄ p̄t quis ad alium alteri obligari, quam ad interea.
6. ipsum Jus canonicum ē ḡtrium.
7. Cap: 22. et 31. res: verum si inter. de sponsal: et matrim:
8. cap: 1. de depon: impub: injungit p̄cedentiam, ergo tolluntur.
9. obligatio si n̄ sublata, n̄ amplius reviviscit. L. 90. §. arcam. ff. de solut:
10. sponsalia de futuro, et de presenti, s̄nt obligari ejuodem r̄is.
11. utraq obligatio descendit ex Jussitia, utiq; sit homin; et ad icem objectu.

17. Vinculum fortius validius forte.
18. sicut votum religionis strictioris ²o^o cadit per professionem in ordine laxiore factam. cap: 5. de Regular: in 6. ²o^o sic etiam ²o^o de futuro, per ²o^o ²o^o de profatj.

